DE APOLOGIA XENOPHONTEA CUM PLATONICA COMPARATA



DE APOLOGIA XENOPHONTEA CUM PLATONICA COMPARATA

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

A. W. NIEUWENHUIS

MED. DOCT., IN FACULTATE LITTER. ET PHILOS. PROF. ORD.,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA
HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS FACULTATIS EXAMINI

SUBMITTET

PETRUS VRIJLANDT

E PAGO NIEUWERKERK A/D IJSEL, HOLLANDUS,

DIE XXIII MENSIS JANUARII MCMXX HORA IV.





LUGDUNI BATAVORUM

A. W. SIJTHOFF'S UITGEVERS MAATSCHAPPIJ

MCMXIX


LIBRARY
OCT -1 1965
UNIVERSITY OF TORONTO

ἀνάθημα

τοῖς γονεῦσι

Respicienti mihi spatium temporis praeteriti, quo studiorum causa Lugduni Batavorum commoratus et inter cives Academiae versatus sum, permulta in mentem veniunt varieque animus commovetur. Ultro tamen animum subit cogitatio multa me multis beneficia debere.

Inter quos mihi liceat primum Te alloqui, clarissime Vürtheim, promotor aestumatissime. Tempus, quo Tua egregia institutione frui mihi licuit, perbreve erat neque mihi contigit ut diutius Tuis lectionibus interessem. In conscribendo vero hoc libello Te expertus sum fortem et strenuum et benevolentissimum Ducem. Verissimum Tuum iudicium saepe mihi, tironi, bono fuit; sapientia Tua et temperantia hic atque illic iuvenilem ardorem moderatus es: saepe me monuisti, ubi imprudentia lapsus eram aut argumentatio infirmior erat; liberalissimum in modum otium Tuum mihi semper impendisti; saepe alacri et erecto animo domum reverti a Te discedens post iucundissimum colloquium eruditior Tua sapientia et doctrina. Postremum vero, cum haec dissertatio iniquitate temporum paene oppressa esset, optimus Patronus huius libelli exstitisti et integrum eum in tuto collocasti. Pro quibus beneficiis gratias Tibi ago et habeo quam maximas semperque habebo.

Tibi quoque, clarissime Hartman, toto corde gratus sum, non solum pro Tua institutione et doctrina et quod singulari illa Tua in Latino sermone facultate verborum studiosos quoque amore linguae Latinae imbuere soles, sed etiam pro Tua humanitate et liberalitate et hospitalitate. Benevolentia Tua, qua me semper prosecutus es, saepius iacentem studiosi animum excitasti et Tuis verbis ego quoque ex tristitia recreatus sum in rebus adversis.

Cum longius etiam mens mea respicit, video Te, clarissime eruditissimeque v. Leeuwen. Quot quantaque Tibi debeam, numquam obliviscar. Eximiam Tuam et exquisitam doctrinam, accuratam illam ἀκρίβειαν, incredibilem Tuam diligentiam et industriam, singularem Latini sermonis elegantiam, quietam et firmissimam in demonstrando argumentationem, aliasque permultas Tuas ingenii et doctrinae virtutes saepe tacite admiratus sum et nunc — lubentissime hoc palam profiteor — procul, magno intervallo, haud aequis passibus, imitari et sequi conatus sum. Toto animo spero me hoc libello Tibi ostendere posse e Tua schola me profectum esse et commilitonem fuisse non prorsus indignum qui Aquilam Tuam sequeretur.

Tuae quoque reconditae et insignis doctrinae copiis et philosophia Tua, clarissime Bolland, me nonnihil profecisse persuasum Tibi habeto. Manifestum Tibi erit ex hoc libello me quoque a Te incitatum esse ad studium philosophiae et philosophorum et aliquatenus Tuis adhortationibus impulsum hanc materiem tractandam suscepisse. Quod Tibi non ingratum fore valde spero.

Lubentissime Tibi quoque, clarissime Holwerda, gratias ago maximas. Tua institutio et doctrina mirum quantum mihi profuerunt ad melius cognoscendum animum et indolem populi omnium ingeniosissimi, quotquot fuerunt quotquot sunt. Te quoque duce amare coepi studium Rerum Graecarum.

Etsi tempore exclusus eram quominus Tuis lectionibus interessem, clarissime v. Gelder, pro benevolentia qua hisce diebus erga me usus es, ex animi sententia Tibi gratias ago.

SYNOPSIS.

PROOEMIUM.

Socrates et iterum Socrates et — dempto fine — Socrates!

Pergunt enim viri docti pugnare acerrime iam per aliquot decennia de nostro philosopho. Spissi libri, dissertationes elaboratae, doctae commentationes omniumque generum scripta longo agmine aliud post aliud quotannis in lucem prodeunt. Iucundissimum spectaculum est in Magna Arena Rerum Classicarum contemplari et audire iuvenes promovendos, viros doctos, viros doctissimos, viros clarissimos eruditissimosque alium alium aut iuvantem aut impugnantem.

Iuniores vulgo haesitantes proelium ineunt, unus et alter sibi confidit neque sine aliqua fiducia sui manus conserere paratus est, perraro autem alacri et erecto animo ultro seniores ad pugnam lacessunt. Cavendum enim iis est ne mox aut summae neglegentiae et imperitiae convincantur, aut a spectatoribus odiosae arrogantiae insolentiaeque accusentur.

E viris doctis doctissimisque nonnemo procedit ingenti libro armatus et placide prius ostendit et ordine exponit argumenta et testimonia — uberrimam materiem cuius firmitatem nemo potest non probare! —, deinde ex ea materie, ex ea exquisita et accurata doctrina, probus architectus, firmissimum pulcherrimumque opus suum exaedificat, ita ut lectorum auditorumque animos singulari voluptate devincat. Sollers enim auditor libentissime attentissimeque aures praebet oratori qui in argumentando tanquam normam quandam disputandi amat illud *αὐτὸ δείξει*. Neque enim omne

tulit punctum qui commotior animo, gravi voce et magna contentione — bonis nimirum lateribus praeditus —, privatas persuasiones et opiniones pro argumentis profert atque saepe auctoritate abusus imperiose declarat vera esse quae sibi placent severeque contra asseverat alias aliorum doctorum sententias et opiniones esse meras fabulas, logos, nugas. Qui viri docti indicia magis offerunt calidi ingenii quam doctrinae et sagacitatis.

Interdum vero spectatores incedere vident virum clarissimum eruditissimumque magna discipulorum stipante caterva, saeptum literarum armis et doctrinae, egregia magnificaque spectacula praebiturum theatro iuniorumque coronae. Homines et tirones et viri docti quoque spectatae virtutis taciti altoque silentio in uno obtutu haerent defixi. Sunt etiam quos pudeat suae ipsorum vanitatis atque imperitiae. Ille autem, veteranus gladiator, saepe difficillimam quaestionem tanquam quendam nodum Gordianum, alter Alexander, uno ictu diffindit.

Et omnes nobis veram imaginem veri et historici Socratis depingere, qualis quantusque fuerit demonstrare cupiunt. Unusquisque exclamat „mihi crede'', alius suaviter, causidicorum in modum, suadens, alius placide, alius imperiose „mihi crede'', „crede mihi''!

Inter quos ne sannio quidem deest, qui hilaritatis partes agit (Gallice: *note gaie*) et magnam delectationem affert spectatoribus. Is festivissimum in modum acuta voce identidem clamitat *τὸν Ἀνυπόδητον, τὸν Μέγαν Ἄλουτον*. male sanum et mente captum et delirum senem fuisse et morbo eum laborasse qui hodie vulgo hominum mentes animosque perturbat, qui nominatur *Paranoia Paralytica Philosophastrix* [1]).

Qui vero nunc novus gladiator, homunculus parvus et humilis, pedetemptim arenam ingreditur, sollicitus et timidus ne spectaculum indignum praebeat — quae est iuniorum in quaestionibus disputandis imperitia — de eo, O lector benevole, noli nimis severe, nimis subtiliter, nimis sagaciter iudicare. Luctandum ei nunc est cum isdem difficultatibus, in quibus viri docti, quibuscum neque

[1]) Alexander Moszkowski, Sokrates der Idiot, 7, 108.

aetate, neque ingenio neque doctrina est comparandus, per longam saeculorum seriem se exercuerunt. Veniam et benevolentiam tuam implorat ne fastidias si aliquid non animadvertit quod iam ab aliis docte et prudenter disputatum sit. Incredibile enim est quantum a viris doctis de Socrate deque Socraticis scriptum sit. Pro sua virili operam dedit ut aliorum sententias, quantum fieri potuit, cognosceret; nihilominus permulta se fugisse persuasum habet.

Antequam autem operi se accingit, brevis allocutio ad spectatores non dedecebit.

Si ipse Socrates, auditores humanissimi, hodie ab inferis existat videatque quam acriter, quam pugnaciter, quam tumultuose de se ipso pugnetur, subrideat, opinor, et, nisi me omnia fallunt, non sine irrisu audientium magnus ille *Εἴρων*, ut amabat ludificari, unum aliquem ex hac, quam videtis, turba, quem videat gravissimum maximaque auctoritate et amplitudine — alterum Gorgiam vel Protagoram puta —, compellet et, cupidus dialogi, in longum sermonem eum vocans, denuo inquirere incipiat *τί ἐστι Σωκράτης*. Etenim ipse vivus quaerere solebat· *τὸ τί ἐστι.*

Θαυμαστὴ ἂν εἴη ἡ διατριβή! Videor mihi iam videre eum virorum doctorum verba, sententias singulaque argumenta *βασανίζοντα*, et *ἐξετάζοντα*, hic atque illic fortasse etiam *ἐξελέγχοντα*.

Igitur, ut ipsi Socrati rationem reddere possimus eorum quae erga eum et eius memoriam agamus, diligenter et circumspecte agendum est et omne genus cautionis adhibendum. Quasi ipse Socrates in quaerendo comes et criticus esset, *διαβλέπων* et *ταυρηδὸν βλέπων*, accurate perlegenda sunt scripta quae de philosopho nostro agunt. Unusquisque qui imaginem depingere cupit veri illius Socratis — veritati convenienter — indagatorum in modum, alter *literarum* Sherlock Holmes vel canis venaticus omnia sagaciter et festive odorans, circumspecte procedens et acriter intuens totum illum literarum campum indagare debet, hoc unum, utique hoc imprimis, rogitans: Socrates, ubi es, ubi es, vere et historice Socrates? Et ex eis vestigiis et indiciis et testimoniis, quae undecumque sunt congerenda, nobis imago est delineanda.

Qua in conquisitione variis difficultatibus afficimur. Auctores non semper consentiunt, i. e. non semper τὰ αὐτὰ περὶ τοῦ αὐτοῦ dicunt. Saepe eadem vel similia nobis narrant, nonnumquam vero dissimilia et prorsus contraria, et alius alium Socratem in scriptis suis exhibet. Alius magis historicorum in modum nobis tradere videtur quae ei de Socrate nota sunt vel aliunde innotuerunt, et eiusmodi fontes, irae et studii habita ratione, non parvi sunt ducendi. Alius saepe utitur Socrate quasi quadam dramatis persona et in eius dialogis Socrates πρόσωπον factus est. Persona et vestis quam scriptor ei induit nobis igitur caute et circumspecte amovendae sunt. Hoc dico, si alia comparatione uti licet: etsi agri qui coluntur non omnes frugiferi sunt, tamen ex eis quae a Socrate dicebantur in sermonibus, in colloquiis, in disputationibus, quaeque tanquam semina in iuvenum animos spargebantur, hic atque illic flores et fruges nata sunt; ex illis igitur discipulorum sententiis et cogitationibus semina, unde effloruerunt, nobis divinanda sunt et — sator. Quod difficillimum est. Nihilominus inquirenda separandaque sunt in quoque discipulo quae magistri fuerunt quaeque ipsius discipuli sunt [1]).

Quomodo haec in re tam lubrica quam certissime explorari possunt [2])?

Dixerit aliquis, sicut mathematici in rationibus nonnunquam quaerunt *Communem*, quem vocant, *Factorem* (vern: *Grootst Gemeene Deeler)*, ita nobis quoque ex variis vestigiis, indiciis,

---

[1]) Antiquissimis fontibus libenter maxime fidem habeas; neque tamen posteriores scriptores neglegendi et sic temere seponendi sunt. Negari enim non potest fieri potuisse ut ex deperditis alicuius antiquissimi auctoris scriptis adnotationes haud contemnendas servarent.

[2]) Quibus adnumerandus est imprimis Xenophon, cuius Apologia non est fictus λόγος Σωκρατικός. Totus quoque ille liber, cui titulus Memorabilia, habendus est defensio Socratis, eius vitae et philosophiae. Prima capita vulgo nominantur Apologia (Germanice: Schutzschrift), quae vero deinde sequuntur postea addita esse aiunt, neque omnia genuina habent. Nobis totus ille liber est opus discipuli qui magna pietate adductus magistrum et eius memoriam defendere studebat, cum crimina refutaret, deinde exponeret, qualis homo fuisset reus, et quam potest uberrima argumenta et testimonia proferret, sicut in iudicio fieri solet, sicut bonum causidicum decet, cf. e. g. Ciceronem in Verrinis orationibus. Totus liber nostra sententia arte cohaeret.

testimoniis componendum esse communem factorem, illum autem communem factorem esse Ignotum nostrum Socratem, quem quaerimus, philosophum.

Sed ne tale quidem investigandi consilium sic temere probari potest. Suspicantur enim viri docti, neque sine causa, ex eis ipsis scriptoribus qui Socratis discipuli fuerunt (non igitur posteriores solum), alium nonnunquam, si non totum, attamen aliqua ex parte, ex alio pendere. Ex eiusmodi auctore approbationem petere non licet nisi summa cautione adhibita et saepe talia argumenta seponenda sunt neque in censum venire possunt.

Videmus rationem esse implicitam.

Optimum autem erit quemque sibi deligere agellum arandum et perscrutandum ut in eo quam maxime et quam diligentissime potest laboret. Sicut archaeologici, qui reliquias et fundamenta vetustissimarum Graeciae urbium, dico Troiam Mycenas, Orchomenum, Cretae urbes, aperuerunt, ita philologi quoque in literarum campo effodere debent quidquid in terra latet. Etenim, quamquam permulti viri sagacissimi et peritissimi pulcherrima inventa collegis ostendere potuerunt, persuasum est nobis nonnulla adhuc latere neque semper ea ratione quae rectissima est terram effossam esse.

Agellus, quem nobis elegimus, est Apologia Xenophontea, nec non Apologia Platonica. Fuit tempus — Wielandii, nisi fallor, aetate —, cum viri docti Xenophontem fidissimum haberent auctorem earum rerum quae ad Socratis vitam et ad eius philosophiam pertinerent. Proximo saeculo turbulentae tempestates exstiterunt. Nunc venti aliquantum remiserunt. Quamobrem speramus, etsi non omnia nubila disiecta sunt neque totum coelum nobis serenum redditum est, hoc opusculo aliquid nos efficere posse contra Xenophontis obtrectatores.

Non ignoramus raro in nostra arte pro certo, sicut apud mathematicos, aliquid demonstrari posse. Probabilitatem et verisimilitudinem plerumque tanquam summas deas veneramur. Contra procul habendi sunt ei quorum unica libido esse videtur omnia in dubium vocare. Quibus adnumerandi sunt viri docti qui Apologiam Xenophonteam Xenophonti abiudicant. Cuius scripti

fidem iam permulti probare conati sunt [1], et quaestionem de eius genuina origine absolvere temptaverunt. Qua in controversia alius aliam viam ingressus est. Nonnulli demonstraverunt in Apologia dicendi et scribendi genus idem esse atque in aliis scriptis Xenophonteis, eandem elocutionem rhetoricam, eandem periodorum structuram, eandem figurarum et synonymorum usum. Igitur scriptum prorsus colorem orationis Xenophonteae habere. Qui omnes, inquirendo non tam *quid* quam *quomodo* scripserit, eius grammatica et rhetorica, artem et genus dicendi, indolem et naturam scriptoris exploraverunt et cognoscere studuerunt. Et, quod ad hanc partem controversiae pertinet, omnis nunc dubitatio sublata est et sublata esse debet, id quod etiam ab acerrimis adversariis conceditur. Hoc quidem ad certum redigere potuerunt! Codicum praeterea auctoritas et veterum scriptorum testimonia (vid. O. Frick) satis praesidio sunt libello et eum ab obtrectatorum malignitate tuentur.

Reliquum igitur est ut, si *oratio* displicere non potest, *res* quae commemorantur, et *argumentum*, vel in universum *ea quae scriptum continet*, viris doctis scrupulos iniciant et eis offensioni

[1]) Paucos nominabo:

Martinus Schanz in Edit. Apologiae Platonicae 1893.

H. Richards, Classical Review vol. XII. 1898: „The minor works of Xenophon X Apologia Socratis".

O. Immisch et Martinus Wetzel, Neue Jahrb. f. d. Klass. Alt. u. f. Paed. V, 3, 1900: „die Apologie des Xenophon".

Adolphus Menzel, Sitzungsber. der Kais. Ak. d. Wiss. Wien. vol. CXLV, 1903: „Untersuchungen zum Sokr. Prozesse".

Deinde, postquam nonnulli viri docti in universum in Xenophontis genus dicendi inquisiverunt, inter quos nomino:

Carolus P. Schulze, Quaestiones gramm. ad Xenoph. pertinentes progr. Berol. 1888.

Fridericus Wissmann, De genere dicendi Xenophonteo, diss. Giess. 1888.

Hans Schacht, De Xenophontis studiis rhetoricis, diss. Berol. 1890,

hisce dissertationibus freti alii demonstraverunt Apologiam opus esse vere Xenophonteum:

O. M. Feddersen, De Xenophontis Apologia Socratis et Isocratis antidosi quaestiones duae Socratis litem attinentes, Diss. Iena 1907.

O. Frick, Xenophontis quae fertur Apologia Socratis num genuina putanda sit, in Diss. philol. Hal. 19, 1909.

sint. Hac quoque in causa optimi defensores et patroni libelli nostri exstiterunt. Persuasum autem est nobis hanc quaestionem, ab aliis saepe tractatam, exhaustam nondum esse neque ab omni parte solutam, permulta praeterea adhuc disputandi materiem praebere, haud ita pauca non observata et neglecta esse, nonnulla firmioribus argumentis confirmari et stabiliri posse, postremo ad verum et historicum Socratem cognoscendum hanc apologiam maximi momenti esse. Quo factum est ut denuo viros doctos inquietemus hac dissertatione, spe autem adducti ut pro nostra virili aliquid in commune conferre possimus. Hoc potissimum rogamus qualis homo fuerit Socrates, qualia eius dicta et facta. Quoniam vero Apologia Platonica eadem de re agit et permulta cum scripto Xenophonteo habet communia, altera saepius cum altera erit componenda, ita ut perspicuum et manifestum fiat, utri a nobis magis fides habenda sit et quatenus in utraque Apologia ipsius Socratis defensionem servatam habeamus.

Primum disputaturi sumus de Socratis magniloquentia in causa defendenda. Singulare quid et novum et inauditum erat illa superbia, et multorum admirationem movit, non solum iudicum, sed etiam posteriorum hominum. In eam inquirendum erit *qualis* fuerit (Cap. I).

Deinde investigare et exponere conabimur, quid et quale fuerit daemonium Socratis quod gravissimum argumentum erat adversariorum, ut simul perspicere possimus, quatenus uterque vera de hoc privato oraculo, quod ultro Socratem monebat, in Apologia sua tradiderit (Cap. II).

Tum similia et dissimilia inter se quam accuratissime comparabuntur, ut altera Apologia alteri speculi vice fungatur et altera tanquam in speculo semet ipsa contemplari possit. Officium nostrum erit ex ea comparatione elicere id quod verum et historicum esse videtur (Cap. III).

Postremo, cognitionis nimirum et scientiae cupidi, cognoscere studebimus, quae causa fuerit quod haec similia et dissimilia utrumque scriptum haberet (Cap. IV).

Ex qua inquisitione et disputatione apparebit non scriptorem Apologiae Xenophonteae, sed eum qui Apologiam Platonicam scripsit. esse aliquatenus imitatorem et plagiarium. Quae nova

fortasse est sententia et inaudita et odiosa! Eiusmodi iudicio in maximam me venturum esse invidiam, tale crimen viris doctis invidiosissimum futurum esse non ignoro. In paragrapho secunda quarti capitis (quo vide) ea diximus quae nobis dicenda videbantur de hac nostra impietate. Itaque hoc loco lectoribus haec tantum videntur a nobis esse praecipienda:

Veritas est quam explorare volumus nulla admiratione, nulla religione, nulla pietate impediti. Quae si postremum, exploratione ad finem perducta, admiranda, veneranda, adoranda erit, admirabimur, venerabimur, adorabimus. Risum autem movet semperque movebit is qui loquitur de immortali et divina pulchritudine alicuius scripti neque tamen id perspectum et penitus cognitum habet, sed extremis, ut dicitur, digitis tantum id attigit. Qui verum et historicum Socratem indagare vult, simul inquirere debet qualis scriptor fuerit Plato, ut recte separari possit quid magistri quid discipuli fuerit. Qua in exploratione et inquisitione non auctoritate, non reverentia, non religione, non pietate retinebimur quominus id statuamus, nulla scriptoris habita ratione, quod *Ratio* nobis suadeat.

Platonem esse aliquatenus imitatorem et plagiarium! Accusatio gravissima quae, ne calumnia sit, firmis argumentis est comprobanda. Nos nonnulla argumenta attulimus. Alia sunt inquirenda et conquirenda. Quam ob rem viros doctos rogamus ut huic quaestioni, quae a nobis non soluta [1]), sed tantum instituta est, operam dare non dedignentur. Non recusabunt. Imprimis eos, qui Platonem quasi quendam deum philosophorum adorant et venerantur, ardenti studio eum ab eiusmodi ignominia tueri et hanc maculam, qua eum aspersi, auferre velle suspicor. Primum igitur diligentissime, sat scio, indagabunt et explorabunt, quatenus vera sint talia crimina et accuratissime investigabunt quae ratio intercedat Platoni cum aliis scriptoribus et poetis qui ante eum aut eius aetate floruerunt.

Nos quoque, ἂν θεὸς ἐθέλῃ, calculum adicere conabimur.

Scribebam Noviomagi mense Novembri MCMXIX.

[1]) In extrema dissertatione gravissima quaestio, quae pluribus dissertationibus disputandi materiem praebere potest, funditus tractari neque solvi poterat.

CAPUT I

DE SOCRATIS ANTE IUDICES SUPERBIA ET MAGNILOQUENTIA.

§ 1. INTRODUCTIO.

Multiplex et varium fuisse Socratis ingenium nimis saepe fugit viros doctos. Apud Platonem tantum non semper urbanus nobis depingitur; comiter amicos, socios, homines quoque minus notos vel ignotos alloquitur. Platonem quoque ipsum urbanum fuisse facile credimus. Nonnumquam tristi vultu, meditans, cogitabundus per vias ibat, si quidem comicis fides habenda est. Legimus enim apud Amphin in eius *Δεξιδημίδῃ*:

Ὦ Πλάτων
ὡς οὐδὲν οἶσθα πλὴν σκυθρωπάζειν μόνον
ὥσπερ κοχλίας σεμνῶσ ἐπηρκὼσ τὰσ ὀφρῦς.

Aliter praeterea se gessisse Platonem iuvenem, aliter senem, aliter Socratem iuvenem, aliter senem, aliter utrumque se gessisse erga amicos, comites, socios, aliter contra alienos, obtrectatores, accusatores, inimicos, τοὺς πολλούς, consentaneum est. Si autem verum est, id quod Francogallus dixit, e stilo cognosci hominem posse, in universum dici potest Platonem fuisse hominem summa venustate et summa elegantia. Talem quoque primam in suis dialogis personam finxisse vel mutavisse videtur et primarum partium actorem sui similem exhibet. Socrates veste Platonica indutus in Platonis dialogis se nobis offert. Socrates quoque semper suaviter, semper eleganter nonnumquam ironice, semper autem urbane cum sociis et amicis, immo vero etiam cum sophistis,

confabulatur. Apud Platonem eius oratio academicorum, ut ita dicam, urbanitatis quendam colorem habet. Unde fit ut viri docti ad arma conclament, vociferari incipiant, simulatque — apud alium scriptorem — illam urbanitatem, illam vestem Platonicam abicit. L. SCHMITZ in ephemeride philologica Anglica, cui nomen erat „*The classical Museum*". Vol. II 1845 p. 226 hanc sententiam profert:

„There is indeed a kind of μεγαληγορία perceptible in the Memorabilia as well as in Plato's Apology, but it is very different from that with which we become acquainted in the Xenophonteam Apology, and which is not attested by any other authority: it is, to be brief, opposed to all we know about the character of Socrates from other sources, and bears strong marks of the exaggerated notions which a rhetorician who lived three or four centuries later would naturally from of Socrates." Alius vir doctus KAIBEL in annotatione commentationis de Xenophontis Cynegetico haec exclamat: „Das thema, dass Socrates durch seine μεγαληγορία es mit den Richtern verdorben habe (§ 1. 32.) wird so ungeschickt durchgeführt dass Socrates als Mann von zweifelhaftem Geschmack und unzweifelhafter Anmassung erscheint: war das Socrates' Natur, so dürfen wir die Memorabilien eben so wenig wie Platon als getreue Darstellung seines Charakters ansehen, so verstehen wir überhaupt Socrates' Einfluss auf die Menschen gar nicht mehr."

Quae duo crimina infirmiter sane OTTO FRICK in dissertatione cui titulus *Xenophontis quae fertur Apologia Socratis num genuina putanda sit* pag. 123. refutare conatur hisce verbis: „At enim antiquo homini talem sermonem multo minus insolentem visum esse censeo, non quo nos illis magis animos nostros comprimamus, sed quia illi quae sentirent minus quam nos didicerant celare. Nec quicquam aliud hac ex parte inter Platonicam Xenophonteamque interest, nisi fallor, Apologiam, nisi id, ut hic incondita et rudi voce idem dicat, quod ille ironia Socratica quasi quodam velo subtilissimo involvit."

Alii quoque defensores Apol. Xen. non multa de hac superbia verba faciunt. Acerrimus patronus e. g. M. WETZEL (Neue Jahr-

bücher f. d. Kl. Alt. 1900 pag. 402: die Apologie des Xenophon.) non admodum feliciter hoc munere functus est. Non nimis illam superbiam nobis mirandam esse ait in tali homine; „Sokrates war nun einmal ein sonderbarer Mensch, nicht wie alle anderen. So nahm er keinen Anstand, sich seiner Tugenden zu rühmen; er wollte da mit ja nur zeigen, dasz er die Jugend nicht verdorben habe". Argumenta autem non affert quibus demonstrat re vera *eam superbiam Socratis fuisse propiam.* Altius igitur et accuratius inquirendum est in hanc eius naturae et morum partem. Etenim et superbus Socrates esse potuit; neque solum superbus. verum etiam vanus magniloquens iracundus, acerbus, vehemens, mordax. In aperto quidem est non a discipulis, non ab eius euangelistis, qualis Plato erat, nos edoceri de hac eius indole. Nonnisi raro aut currente calamo aut per imprudentiam facta dictaque commemorantur quae vulgo minus decora habentur, et ea quae famae sancti et venerandi magistri nocere poterant, silentio eum praetermisisse credibile est. Audiamus autem et alios qui non coguntur pietate et amicitia non nisi pulchra et honesta tradere! Vulgo malevolis obtrectatoribus viri docti tales scriptores annumerant. Saepe iniuria, ut opinor. Assueti enim sumus ea tantum vera et fide digna habere quae Socrati laudi sunt et gloriam afferunt. Sed et altera pars audienda. Quamobrem nos quidem *σμικρὸν φροντίσαντες Σωκράτους, τῆς δὲ ἀληθείας πολὺ μᾶλλον* libenter hanc eius partem morum locis quoque ex posterioribus scriptoribus petitis illustrabimus, et ex sequenti disputatione facile intellegetur verba illius *Aristoxeni* non sic temere seponenda vel abicienda esse tanquam ficta. Malae fidei huius auctoris, qui — virorum doctorum sententia — odio inflammatus multa facta et dicta Socratis calumniose tradidisse fertur, omnem fidem non esse denegandam mox apparebit. Loci, qui huc faciunt, hi fere sunt:

Cyrill. Alex. contra Julianum Lib. VI. pag. 185:

„Λέγει δὲ ὁ Ἀριστόξενος ἀφηγούμενος τὸν βίον τοῦ Σωκράτους ἀκηκοέναι Σπινθάρου τὰ περὶ αὐτοῦ ὃς ἦν εἷς τῶν τούτῳ ἐντυχόντων. τοῦτον λέγειν, ὅτι οὐ πολλοῖς αὐτός γε πιθανωτέροις ἐντετυχηκὼς εἴη. τοιαύτην εἶναι τήν τε φωνὴν καὶ τὸ στόμα καὶ τὸ ἐπιφαινόμενον ἦθος καὶ πρὸς πᾶσι δὲ τοῖς εἰρημένοις τὴν τοῦ εἴδους ἰδιότητα. γίνεσθαι δὲ

που τοῦτο, ὅτε μὴ ὀργίζοιτο, ὅτε δὲ φλεχθείη ὑπὸ τοῦ πάθους τούτου δεινὴν εἶναι τὴν ἀσχημοσύνην· οὐθενὸς γὰρ οὔτε ὀνόματος ἀποσχέσθαι, οὔτε πράγματος. cf. Theoderetus ad Graecos infideles XII. 174.

Quae morum descriptio partim laudando partim vituperando calumniae indicia non habet, licet Plutarchus, de Herodoti malignitate 856 C, philosophum nostrum defendere et hanc maculam delere conetur: „Ἐγγὺς δὲ τούτων εἰσὶν οἱ τοῖς ψόγοις ἐπαίνουσ τινὰς παρατιθέντες, ὡς ἐπὶ Σωκράτους Ἀριστόξενος, ἀπαίδευτον, καὶ ἀμαθῆ, καὶ ἀκόλαστον εἰπὼν ἐπήνεγκεν· ἀδικία δὲ οὐ προσῆν.

Quae verba ultima et apud Cyrill. Alex. et Theodoretum Cyr. l.l. leguntur.

Praeterea haec apud Theod. Cyr. XII. 174:

καὶ ὁ Πορφύριος δὲ τὴν φιλόσοφων ἱστορίαν ξυγγράψας, πρῶτον μὲν αὐτὸν ἀκρόχολον καὶ εὐόργητον εἴρηκε γεγενῆσθαι, Ἀριστοξένῳ μάρτυρι κεχρημένος τὸν Σωκράτους βίον ξυγγεγραφότι, paulo post: εἶναι δὲ φησιν αὐτὸν ἐν ταῖσ ὁμιλίαις αἰνῶς τε φιλαπεχθήμονα καὶ λοίδορον καὶ ὑβριστικόν, quod affirmari videtur dicto illo Alcibiadis apud Platonem Symp. 215 ὑβριστὴς εἶ·[1]).

Postremum apud Synesium Cyr. Episc. Encomium Calvitii 81: ἐπεί τοι καὶ Σωκράτην αὐτὰ ταῦτά φησιν Ἀριστόξενος, ὡς φύσει γεγόνοι τραχὺς εἰς ὀργὴν, καὶ ὁπότε κρατηθείη τῷ πάθει διὰ πάσης ἀσχημοσύνης ἐβάδιζεν.

Quae omnia indicio sunt urbanitati Platonici Socratis nonnihil esse detrahendum et nos magis adducunt ut credamus Socratem ira commotum mordacibus verbis vehementer in adversarios invectum esse neque semper decoro et dignitati consuluisse.

§ 2. DE SOCRATIS APUD ARISTOPHANEM SUPERBIA, IACTANTIA DURITIA, IRACUNDIA.

Deinde *Aristophanes* nobis antiquissimus est fons ex quo argumenta, testimonia, indicia petenda sunt quibus demonstratur Socra-

[1]) Cf. Symp. 219 C. ἐμοῦ οὗτος τοσοῦτον περιεγένετο τε καὶ κατεφρόνησε καὶ κατεγέλασε καὶ ὕβρισε.

Item Plat. Alc. I. 114 D., alibi.

tem non solum illo tempore cum se defenderet ante iudices superbum se praebuisse, sed in universum naturam eius et indolem hanc ei superbiam dedisse. Probabile est comicum liberrimum in modum ea perstrinxisse quae in Socrate ei videbantur ridicula vel perstringenda. Nonnumquam exaggerando et in maius extollendo eum veritatem egressum esse et modum excessisse libenter confiteor. Hoc fecit risus eliciendi causa. Exaggeratione autem et amplificatione omissis habitum eius et mores recte nobis depinxit ut testatur ipse Plato[1]). Percurramus locos qui maxime nobis argumento sunt!

Nubes 102 *ἀλαζόνες, ὠχριῶντες, ἀνυποδήτοι* Socratici audiunt.

Nubes 140 *ἀλλ' οὐ θέμις πλὴν τοῖς μαθηταῖσιν λεγειν;* discipulus sic ut magister adversus mortales superbiam prae se fert.

Nubes 223 *ὦ ἐφήμερε*
ubi in editione v. LEEUWEN recte adnotat „*Tumide* admodum mortalem affatur".

Nubes 224 *ἀντιβολῶ* tanquam deum,
Per totam deinde confabulationem eius sermo tumidior est et superbe et abrupte loquitur.

Nubes 247 tanquam ludi magister quidam discipulo gravem alapam infligit.

Nubes 237 magna contemptio eius verbis inest.

Nubes 359. sqq. ipse Socrates neque alius sophista compellatur:

σύ τε, λεπτοτάτων λήρων ἱερεῦ, φράζε πρὸσ ἡμᾶς ὅτι χρῄζεις.
οὐ γὰρ ἄν ἄλλῳ γ' ὑπακούσαιμεν τῶν νῦν μετεωροσοφιστῶν,
πλὴν εἰ Προδίκῳ· τῷ μέν, σοφίας καὶ γνώμης οὕνεκα, σοὶ δέ,
ὅτι βρενθύει τ' ἐν ταῖσιν ὁδοῖς καὶ τὼ ὀφθαλμὼ [παραβάλλεις,
καὶ ἀνυπόδητος κακὰ πόλλ' ἀνέχει, καὶ ἐφ' ἡμῖν [σεμνοπροσωπεῖς.

Quod a Platone Symp. 221 B. affirmatur:
ἔπειτα ἔμοιγε ἐδόκει, ὦ Ἀριστόφανες, τὸ σὸν δὴ τοῦτο, καὶ ἐκεῖ διαπορεύεσθαι ὥσπερ καὶ ἐνθάδε, βρενθυόμενος καὶ τὼφθαλμὼ παραβάλλων, ἠρέμα περισκοπῶν καὶ τοὺς φιλίους καὶ τοὺς πολεμίους

[1]) Symp. 221 B.

δῆλος ὢν παντὶ καὶ πάνυ πόρρωθεν, ὅτι εἴ τις ἅψεται τούτου τοῦ ἀνδρός, μάλα ἐρρωμένως ἀμυνεῖται. Ex quibus verbis simul apparet Socratem magnos sibi spiritus sumpsisse, magnifice circumspexisse, ita ut homines ex eius vultu intellegere possent qualis eius animus et ingenium esset. Contra inimicos et obtrectatores eum se talem praebuisse, ferocem et minitabundum eum fuisse ex his locis apparet, non autem solum contra inimicos, etiam inter amicos torve intueri homines solebat, trux eius vultus nonnumquam erat.

Apud Platonem Phaed. 117 B legimus:

ἀλλ' ὥσπερ εἰώθει ταυρηδὸν ὑποβλέψας πρὸς τὸν ἄνθρωπον κ. τ. λ. Quomodo illud vocabulum ταυρηδὸν vertendum sit intellegitur collato loco in Ranis 804. de Aeschylo aegre aliquid ferente:

ἔβλεψε γοῦν ταυρηδὸν ἐγκύψας κάτω, et Eurip. Med. 92 ταυροῦσθαι ὄμμα τινι; Med. 188 δέργματα ἀποταυροῦται δμῶσιν et ad vim verbi ὑποβλέπειν bene intellegendam epico ὑποδρα ϝιδών, et Thesm. Arist. 396. Sensus est: torvo voltu oculos tollebat, suspiciebat, ὥσπερ εἰώθει, *sic ut facere solebat.*

Alibi quoque apud Platonem minus disertis verbis eius superbia attingitur.

Symp. 220 B legimus: οἱ δὲ στρατιῶται ὑπέβλεπον αὐτὸν ὡς καταφρονοῦντα αὐτῶν, sed hoc fortasse minoris momenti.

Commentationis instar autem sunt haec ex Plat. Crit. 53 D: ὡς γελοίως ἐκ τοῦ δεσμωτηρίου ἀπεδίδρασκες σκευήν τέ τινα περιθέμενος, ἢ διφθέραν λαβὼν ἢ ἄλλα οἷα δὴ εἰώθασιν ἐνσκευάζεσθαι οἱ ἀποδιδράσκοντες, καὶ τὸ σχῆμα τὸ σαυτοῦ μεταλλάξας·

Alio vultu, alio habitu, alio incessu per vias ire tum debebis, neque ταυρηδὸν βλέπων, neque βρενθυόμενος neque σεμνοπροσωπῶν. τὸ σχῆμα τὸ σαυτοῦ: *singularem illum tuum habitum.*

Omnia autem haec verba et vocabula indicio sunt philosophorum superbiam et iactantiam, notissimum illud vanum et tumidum ingenium non alienum fuisse a Socrate. Immo suspicio oritur Lucianum in Mort. Dial. V 8 Socratem sibi exemplum ad depingendum sumpsisse et ad perstringendum. Isdem enim vocabulis utitur quibus Socrates noster depingitur.

ὁ σεμνὸς δὲ οὗτος ἀπό γε τοῦ σχήματος καὶ βρενθυόμενος, ὁ τὰς ὀφρῦς ἐπηρκὼς κ. τ. λ.; paulo post Ἀπόθου σὺ τὸ σχῆμα πρῶτον. ὦ Ζεῦ, ὅσην μὲν τὴν ἀλαζονείαν κομίζει, ὅσην δὲ ἀμαθίαν καὶ ἔριν καὶ ἀναισχυντίαν, καὶ ὀργὴν κ. τ. λ.

Sed revertamur ad Aristophanem. Restant enim aliquot loci e quibus non tam Socratis urbanitas et elegantia quam eius superbia et duritia et vanitas perspiciuntur.

Nubes 365 τἆλλα δὲ πάντ' ἐστὶ φλύαρος.

Nubes 367 ποῖος Ζεύς; οὐ μὴ ληρήσεις; οὐδ' ἔστι Ζεύς.
Contemptim hoc increpat.

Nubes 375 ὦ πάντα σὺ τολμῶν;
tumore tragico discipulus magistrum adloquitur.

Nubes 398 καὶ πῶς ὦ μῶρε σὺ καὶ Κρονίων ὄζων. Homines philosophiae rudes Socrates infra se putat et vulgus. Vocabulum μῶρος, μωραίνειν et apud Xenophontem ei in deliciis est.

Nubes 489. cf. 775 proicit quaestiones tamquam bestiae. Durum et severum et parum benevolum!

§ 3. DE SOCRATIS IN XENOPHONTIS MEMORABILIBUS SUPERBIA, ACERBITATE, DURITIA.

Acerbum autem eum fuisse et mordacem et asperis facetiis ex Xenophonte quoque apparebit. Mem. I 2. 30 extat notissima narratiuncula de Critia Euthydemum amante. Postquam Socrates frustra ei persuadere conatus est non decere hominem liberalem et ingenuum talibus corporis voluptatibus succumbere, acrius eum amicorum et comitum adstante corona perstrinxit: Λέγεται τὸν Σωκράτην ἄλλων τε πολλῶν παρόντων καὶ τοῦ Εὐθυδήμου εἰπεῖν, ὅτι ὑικὸν αὐτῷ δοκοίη πάσχειν ὁ Κριτίας ἐπιθυμῶν Εὐθυδήμῳ προσκνῆσθαι ὥσπερ τὰ ὕδια τοῖς λίθοις. ἐξ ὧν δὴ καὶ ἐμίσει τὸν Σωκράτην ὁ Κριτίας κτλ His verbis acerbus vituperator noster magnum adversarium sibi suscepit. Vitam et homines critice contemplari solebat neque ulla hominis habita ratione saepe non rogatus, sententiam libere

dicebat. Molestissime autem nonnemo talia dicta tulit et in contumeliam accipienda esse arbitratus est. Unde odium Socraticum, ut ita dicam, ortum est; cf. e. g. Plat. Apol. 37 C. D: ὑμεῖς μὲν ὄντες πολῖταί μου οὐχ οἷοί τε ἐγένεσθε ἐνεγκεῖν τὰς ἐμὰς διατριβὰς καὶ τοὺς λόγους, ἀλλ' ὑμῖν βαρύτεραι γεγόνασι καὶ ἐπιφθονώτεραι, ὥστε ζητεῖτε αὐτῶν νυνὶ ἀπαλλαγῆναι. Alius locus apud Plat. Theaet. 151 C. non omittendus: καὶ ἐὰν ἄρα σκοπούμενός τι ὧν ἂν λέγῃς ἡγήσωμαι εἴδωλον καὶ μὴ ἀληθές, εἶτα ὑπεξαιρῶμαι καὶ ἀποβάλλω, μὴ ἀγρίαινε ὥσπερ αἱ πρωτοτόκοι περὶ τὰ παιδία. πολλοὶ γὰρ ἤδη, ὦ θαυμάσιε, πρός με οὕτω διετέθησαν, ὥστε ἀτεχνῶς δάκνειν ἕτοιμοι εἶναι, ἐπειδάν τινα λῆρον αὐτῶν ἀφαιρῶμαι κτλ. Eundem nobis semet ipse depingit Socrates Gorg. 521 D, 522: λέγω πρὸς τὸ βέλτιστον, οὐ πρὸς τὸ ἥδιστον. Coquus de eo contemptim loqui fingitur: τοὺς νεωτάτους ὑμῶν διαφθείρει τέμνων τε καὶ κάων, καὶ ἰσχναίνων καὶ πνίγων ἀπορεῖν ποιεῖ, πικρότατα πόματα διδοὺς καὶ πεινῆν καὶ διψῆν ἀναγκάζων. Paulo post: ἐάν τίς με φῇ τοὺς πρεσβυτέρους κακηγορεῖν λέγοντα πικροὺς λόγους κτλ.

Alias inimicitias autem, easque gravissimas, alio tempore contraxit ex quibus odium implacabile ortum est.

In Apologia Xen. 29 ipse Socrates nobis narrat quomodo factum sit ut Anytus, cui magna ex parte damnationem suam debuit (cf. Apol. Plat. 29 C, 36 B), sibi irasceretur; quo loco legitur dictum illud acerbum quod penitus ei in animo haesisse credibile est. Ἀλλ' ὁ μὲν ἀνὴρ ὅδε κυδρός, ὡς μέγα τε καὶ καλὸν διαπεπραγμένος, εἰ ἀπέκτονέ με, ὅτι αὐτὸν τῶν μεγίστων ὑπὸ τῆς πόλεως ὁρῶν ἀξιούμενον οὐκ ἔφην χρῆναι τὸν υἱὸν περὶ βύρσας παιδεύειν· ὡς μοχθηρὸς οὗτος κτλ.; et paulo post ἐπὶ τῇ δουλοπρεπεῖ διατριβῇ κτλ.

Anytus homo splendidus factus erat, πλούσιος ἐκ βυρσοδεψικῆς, ut est in scholio ad Plat. Apol., quaque ex arte ipse opibus, honoribus auctoritate florebat, in ea filium, ut fit, successorem habere iam certum deliberatumque ei erat. Is autem sectator erat sordidi philosophi, et ad alia studia, ad philosophiam et bonas artes ei animus inclinabat. E colloquio fortasse altercatio orta est. Alter alterum contemnebat. Tum Socrates verba illa contumeliosa locutus est: „admoneo te ut cautus sis. Magis ingenuus magisque liberalis filius tuus quam ut ex eo *coriarius* fiat". Maxima enim discrep-

antia in vita est inter homines quibus negotia quae ingenio exercentur, philosophia, artes litteraeque curae sunt, atque eos quibus quaestum facere et ad honores ascendere summum bonum videtur.

Qua re minime adstipulor eis qui contendunt non fieri potuisse ut Socrates superbe et contemptim loqueretur de fabris et opificibus.

Fr. Beyschlag (Blätter f. d. Bayer. Gymn. Schulwesen 1901, 37ster Band, pag. 503) Apologiam Xenophonti detrahit cum alias ob causas tum ob verba allata e §§ 29, 30: Mit diesem Worten (*ἐπὶ τῇ δουλοπρεπεῖ διατριβῇ*) hätte er ja das ureigenste Wesen des Sokrates fälschlich dargestellt, seinem Andenken also den schlechtesten Gefallen erwiesen und gerade in der Schrift, die zu seiner Verteidigung dienen soll, die Anklagen seiner Gegner geradezu unterstützt oder doch wenigstens als berechtigt hingestellt.

Affert v. d. Gorg. 491 A. Mem. IV. 4, 6.; I. 2. 37. Qui loci quid sibi velint, frustra quaero.

Aliud enim est cum contemptu de hominum artificiis loqui, aliud in disputationibus exempla petere e vita quotidiana omnibus notissima ut auditoribus res luce clarius ante oculos ponatur. Comparationes illae opificum vitae desumptae quasi necessaria instrumenta et inseparabilis supellex erant artis dialecticae qualis ea a Socrate exercebatur, quibus sententias et verba ad communem hominum captum accommodabat, quibus res disputandas ad simplicissimam formam redigere solebat quibusque non potuisse carere videtur. Utique talibus locis non demonstratur prae artibus liberalibus et philosophia quae hominum animum excolit et exornat ei *τὰς βαναυσικὰσ τεχνάς*, licet per se utilissimae sint, non sorduisse. Socrati quoque illae artes sordidae erant! Alios locos, e quibus elucet huic communi philosophorum sententiae et Socratem valde favisse, fortasse etiam aliis hac in re exemplo fuisse, nimis facile Beyschlag putat amoveri posse, cum, nullis firmis argumentis allatis, confugit ad usitatissimum et decantatum auxilium non esse Socrati illa dicta sed Xenophonti vel Platoni attribuenda. Consensus discipulorum nobis potius argumento est fontibus nostris confidendum esse. Loci quos affert hi sunt:

In. Mem. IV. 2. 22 legimus *οἱ γὰρ πλεῖστοι τῶν γε τὰ τοιαῦτα ἐπισταμένων ἀνδραποδώδεις εἰσίν.*

Et quamquam apud Xenoph. Oec. 4. 2 atque 6. 5 et apud Plat. de rep. 590 C idem sermo est *περὶ τῶν βαναυσικῶν τεχνῶν* vir doctus putat sic temere illa Socrati abiudicari posse. Nos contra arbitramur eiusmodi similitudines aliquid valere debere ad fidem historicam. Dolendum est praeterea nonnullos alios locos et apud Xenophontem et apud Platonem a viro docto non esse allatos. E Mem. III. 7. 5—8 optime de opificibus quid senserit perspicimus. Plena contemptus illa verba sunt. *Καὶ σέ γε διδάξων, ἔφη, ὥρμημαι, ὅτι οὔτε τοὺς φρονιμωτάτους αἰδούμενος οὔτε τούς ἰσχυροτάτους φοβούμενος ἐν τοῖς ἀφρονεστάτοις τε καὶ ἀσθενεστάτοις αἰσχύνει λέγειν. πότερον γὰρ τοὺς κναφεῖς αὐτῶν ἢ τοὺς σκυτεῖς ἢ τοὺς τέκτονας ἢ τοὺς χαλκεῖς ἢ τοὺς γεωργούς ἢ τοὺς ἐμπόρους ἢ τοὺς ἐν τῇ ἀγορᾷ μεταβαλλομένους καὶ φροντίζοντας ὅτι ἐλάττονοσ πριάμενοι πλείονος ἀποδῶνται αἰσχύνει; ἐκ γὰρ τούτων ἁπάντων ἡ ἐκκλησία συνίσταται, κτλ.*

Apud Platonem deinde est locus qui nobis saepius erit commemorandus, quo divina philosophi ars laudibus effertur et vulgaribus hominum studiis, artibus sordidis, opponitur. Symp. 203 A: *ὁ μὲν περὶ τὰ τοιαῦτα σοφὸς δαιμόνιοσ ἀνήρ, ὁ δὲ ἄλλο τι σοφὸσ ὢν ἢ περὶ τέχνας ἢ χειρουργίας τινὰς βάναυσος.* In fine sententiae abrupte et cum contemptu vocabulum enuntiatum est. Similia leguntur Plat. Alcib. 131 A B, Theaet. 175 E 176 C.

Neque vox *βάναυσος* posterioribus demum in sensum deteriorem abiit. Iam apud tragicos illo vocabulo artes sordidae honestioribus opponebantur, quantique vocabulum aestimatum sit e. g. e Soph. Aiax 1121 perspicuum est. Menelaus Teucrum per contumeliam hisce verbis aggreditur:

ὁ τοξότης ἔοικεν οὐ σμικρὸν φρονεῖν,

respondit vir fortis;

οὐ γὰρ βάναυσον τὴν τέχνην ἐκτησάμην.

Materies, ex qua nobis imago Socratis est delineanda, magna non est. Argumenta tamen et indicia nobis haud ita rara affluunt

ex Xen. Mem. Dico imprimis locos ubi de eis loquitur hominibus qui aliter atque ipse sentiunt et vivunt. Singula hic vocabula quae eius magniloquentiam et acerbitatem, eius superbiam et mordacitatem illustrant, et eos quidem locos qui maximi sunt momenti, congerere satis habebo.

Vocabulis quae simillima sunt conviciis utitur I. 1. 9. δαιμονᾶν; I. 1. 11 τοὺς φροντίζοντας τὰ τοιαῦτα μωραίνοντας ἀπεδείκνυε; I. 1. 13 τοῖς μαινομένοις ὁμοίως διακεῖσθαι; I. 1. 16 τοὺς δ' ἀγνοοῦντας ἀνδραποδώδεις ἂν δικαίως κεκλῆσθαι.

I. 1, 18—19. Stoica pertinacia quae flecti nequit depingitur. Similia leguntur Mem. IV. 4. 3. Plat. Apol. 32 B, 32 C D.

Nullo modo a recte agendi ratione deduci potest, quamvis in maxima pericula incurrere possit. Obstinate et contumaciter suam sibi viam ire pergit.

Mem. I. 2. 6. Stoica acerbitate sophistas, propterea quod artem pecunia tradebant, servos appellat: ἀνδραποδιστὰς ἑαυτῶν.

Mem. I. 2. 32. mordacibus verbis magistratus perstrinxit id quod acerbissimum odium movit cf. I. 2. 35. Χαρικλῆς ὀργισθεὶς αὐτῷ, item I. 2. 38.

Post Critiam et Anytum tertius hic Charicles erat cui Socratis λόγοι βαρύτεροι erant, qui ἀγριαίνειν coepit et δάκνειν paratus erat.

Mem. I. 3, 7. acerbis facetiis irridet homines οἴεσθαι δ' ἔφη ἐπισκώπτων καὶ τὴν Κίρκην ὗς ποιεῖν τοιούτοις πολλοῖς δειπνίζουσαν.

Mem. I. 3. 11—13. qui voluptatibus corporis et libidinibus succumbit δοῦλος audit et μῶρος et μαινόμενος.

Mem I. 4. 1. κολαστηρίου ἕνεκα saepe homines acriter vituperat et perstringit.

Mem. I, 5. 5—6. servos appellat qui pravis cupidinibus capti sunt: δουλεύειν δουλείαν οὐδεμιᾶς ἧττον αἰσχράν.

Mem. I. 6. 6—10. Optimum exemplum Socratis superbiae et vanitatis. Semet ipsum laudando extollit in caelum!

ἐγὼ δὲ νομίζω τὸ μὲν μηδενὸς δεῖσθαι θεῖον εἶναι, τὸ δ' ὡς ἐλαχίστων ἐγγυτάτω τοῦ θείου κτλ.

Mem. I. 6. 13. Mordaciter et acerbissime sophistas cum scortis comparat!

Mem. III. 9. 6—9. Contemptim loquitur de vulgo profano.

Mem. III. 13. 3—6. Verborum aculeos agnoscimus.

Mem. IV. 1. 5. Divites et iuvenes, qui nimiam de se habebant opinionem, asperis sermonibus exagitat, non urbanum in modum, sicut Socratem Platonicum fecisse credibile est, sed *convicia proferens* ὅτι μῶρος μὲν εἴη, ———, μῶρος δ' εἴ τις ———, ἠλίθιος δ' εἴ τις ———, ἠλίθιος δὲ καὶ ———.

Mem. IV. 2. 4—6. Legimus quomodo iuvenem paulo vaniorem et nimium sibi placentem ludibrio habeat, mitiorem molilioremque reddat.

Mem. IV. 2. 22, 23. ipse Socrates, qui philosophiam colit, homo superior est; alii, οἱ πολλοί vulgus profanum sunt quos decet omnimodis id agere omnemque operam dare ne servi sint: μὴ ἀνδράποδα ὦσιν.

Mem. IV. 4. 11. *Semet ipsum laudando extollit:*

Ἤσθησαι οὖν πώποτέ μου ἢ ψευδομαρτυροῦντος ἢ συκοφαντοῦντος ἢ φίλους ἢ πόλιν εἰς στάσιν ἐμβάλλοντος ἢ ἄλλο τι ἄδικον πράττοντος;

Mem. IV. 5. 11. notae illae comparationes quae simillimae sunt conviciis:

Quid differt, inquit, Euthydeme, homo ἀκρατὴς θηρίου ἀμαθεστάτου; quid differt τῶν ἀφρονεστάτων βοσκημάτων;

Echo fortasse huius loci percipitur in Phaedro Plat. 258 E, 259 A, ubi αἱ περὶ τὸ σῶμα ἡδοναὶ ἀνδραποδώδεις audiunt, et homines comparantur cum ἀνδραπόδοις ——— ὥσπερ προβάτια κτλ.

Mem. IV. 7. 6. Superbum in modum de Anaxagora loquitur quem *insanire* arguit!

Sed iam diu vereor ne disputatio nostra et enumeratio nimis copiosa et iusto longior fiat. Igitur paucos etiam locos indicabimus quos ipse lector benevolus et huius quaestionis non incuriosus — ceteri non curabunt —, inspiciat velim. Mem. I. 2. 9—10 crimina tractantur quae ab adversariis in Socratem proferebantur. Defensio Xenophontis nobis admodum infirma videtur. Neque I. 2. 49—55 redarguit Xenophon accusationes, verum confitetur talia esse dicta a Socrate. Patet igitur non ficta esse adversariorum crimina, quibus nobis depingitur homo durus et fanaticus neque lenis neque suavis. Quare acerbitatem et duritiam eius ne diutius miremur.

Item I. 3. 4 superbum et fanaticum nostrum Socratem agnoscimus; II. 1. 15 comparatio non admodum bevevola; II. 2. 7 paulo acerbius loquitur cum filio; item II. 2. 10; IV. 4. 9 deridere stultos homines solebat. Postremo IV. 2. 39 Socrates homines semet ipsos contemnere cogit; homines autem saepe Socrati irascuntur. Multi quos similiter atque Euthydemum acerbe saepe neque sine duritia, ad incitas redegisse putandus est, consuetudine eius carere malebant neque amplius eum comitabantur et sectabantur, quos autem Socrates *βλακοτέρους ἐνομίζεν*, qui homines annumerandi sunt eis quos notos habemus ex Theaet. 151 C, Apol. 37 C. D.

§ 4. DE SOCRATIS PLATONICI SUPERBIA, ACERBITATE, DURITIA.

In superioribus paragraphis iam locis nonnullis e Platonis dialogis allatis testimonia aliorum scriptorum affirmavimus. Tamen hanc fanatici nostri acerbitatem, asperitatem, duritiam a Platone quam maxime esse obscuratam et sepositam post videbimus. Hic autem atque illic dilucet, et apud Platonem, verus Socrates qui non semper urbanitatem et benevolentiam et lenitatem prae se fert. Verba illa, simillima conviciis, quae nobis ex Aristophane et Xenophonte notissima sunt, quibus satis acerbe vitia hominum perstringere solebat, *δοῦλος* dico et *ἀνδράποδον* et *ἀνδραποδώδης* apud Platonem quoque in disputationibus nonnumquam occurrunt.

Ex locis qui haec vocabula exhibent elegimus qui sequuntur:

Gorg. 491 E vocabula *ἠλίθιος*, *δουλεύειν* occurrunt. de Republ. 430 B nominat *δόξαν ἄνευ παιδείας γεγονυῖαν, τήν τε θηριώδη καὶ ἀνδραποδώδη*. Pari atque apud Xenophontem modo apud Platonem Symp. 183 A servus audit qui in re amatoria cupiditatibus regitur; *καὶ ἐθέλοντες δουλείας δουλεύειν οΐας οὐδ' ἂν δοῦλος οὐδείς*. Immo in Lys. dialogo quoque ubi Socrates humanitate perpolita cum adulescentulo confabulatur disputationem ad eandem famosam comparationem perducit: Lys. 208 B *καὶ δοῦλον, ὥς ἔοικεν, ἡγοῦνται περὶ πλείονος ἢ σὲ τὸν υἱόν.*

Idem Phaedr. 238 E, 252 A.

Huc facit quoque Alcibiades moeste et tristi animo se met ipsum pro nihilo habens Symp. 215: *ἡ ψυχὴ — ἠγηνάκτει ὡς ἀνδραποδωδῶς διακειμένου*. Quae sententia, quae vocabula non sunt Alcibiadis propria, sed e schola Socratis et Socraticorum desumpta.

Ex talibus vocabulis non benigna lenitas et benevola urbanitas perspicitur, sed severa tristitia et sententiarum asperitas duri philosophi qui non ignoscit sed condemnat. Cuius verba saepe sunt verbera.

Item in Theaet. 172 sqq., notissimo loco, quo demonstratur quantum intersit inter veros philosophos et causidicos — eos qui versatissimi sunt in causis et rebus iudiciariis –, superbia philosophi translucet. Hoc autem loco ipsius Socratis causa, et fortasse eius ante iudices oratio et habitus, respici, non est quod moneamus.

172 C. *Κινδυνεύουσιν οἱ ἐν δικαστηρίοις* ——— *πρὸς τοὺς ἐν φιλοσοφίᾳ τεθραμμένους ὥσ οἰκέται προς ἐλευθέρους τεθράφθαι.*

173 A. *σμικροὶ δὲ καὶ οὐκ ὀρθοὶ τὰσ ψυχάς*, nam *τὸ ἐλεύθερον ἡ ἐκ νέων δουλεία ἀφῄρηται.*

175 B. *τὰ μὲν ὑπερηφάνως ἔχων, ὥσ δοκεῖ, τὰ δ' ἐν ποσὶν ἀγνοῶν κτλ.*

Maximi autem momenti:

174 D. *ἔν τε τοῖς ἐπαίνοις καὶ ταῖς τῶν ἄλλων μεγαλαυχίαις, οὐ προσποιήτως, ἀλλὰ τῷ ὄντι γελῶν ἔνδηλος γιγνόμενος ληρώδης δοκεῖ εἶναι.*

Praeterea legantur acerbae comparationes 174 D. E., 175 A. B., 175 E.

Ipsius ἀσχημοσύνη δεινή, δόξαν ἀβελτερίασ παρεχομένη 174 C. laudatur.

Horum autem philosophorum Socratem nobis tanquam exemplum depictum esse si adhuc dubium est, luce clarius hoc apparet ex 173 E, 175 D [1], collatis versibus ex Nubibus 190 sqq. et 225—234. Post illud κατὰ Πίνδαρον libenter mente supplemus τε καὶ κατὰ Ἀριστοφάνην.

Socratis causam capitalem Platonis menti obversatam esse etiam perspicuum ex 172 E: πολλάκις δὲ καὶ περὶ ψυχῆς ὁ δρόμος.

Socratis studium et sapientia respicitur 174 B τί δέ ποτ' ἐστιν ἄνθρωπος —— ζητεῖ τε καὶ πράγματ' ἔχει. Cf. Phaedr, 230 A, Apol. 20 D, Xen. Mem. I. 1. 12.

Agmen autem claudant duo dialogi qui a nonnullis viris doctis cum ob alias causas tum propter nimiam Socratis in disputando insolentiam, rusticitatem, acerbitatem Platoni detrahuntur: Alcibiades prior et Hippias maior.

Audiamus iudicium viri nostratis Cobeti τοῦ πάλαι qui criticorum facile princeps erat. Is, in Mnemos. 1874 pag 369 sqq., de Alcibiade disserens confitetur se quoties hunc Dialogum relegebat intellexisse sibi non cum Platone rem esse sed cum aliquo Platonis amatore et admiratore et imitatore. Postquam attulit quae leguntur duritiae 118 B, 119 A, 120 B, censet talia „Cratino quam Platone" digniora esse. Postquam attutit locum ubi Socrates Periclis filios et Cliniam perstringit (118 D) ait: „Aristophanem te audire putes, non Platonem τὸν εὐσχήμονα, τὸν ἀεὶ σεμνολογοῦντα, qui dictis pungere et urere quemlibet improbum salsissime poterat, sed ea ipsa de causa convicia huiuscemodi et maledicta iacere non solebat".

Similiter Socratis in Hippia maiore [2]) rusticitas et acerbitas viris doctis offensioni erat.

Videantur imprimis 288 D ubi Socrates haec confitetur: οὐ

---

[1]) Vid. Cap. IV. § 4.

[2]) Cf. Cap. IV. § 3.

κομψὸς — εἰμὶ — ἀλλὰ συρφετός, οὐδὲν ἄλλο φροντίζων ἢ τὸ ἀληθές. et 290 D οἷον λέγεις ἄνθρωπον, exclamat Hippias.

Hippias cum ignoto illo homine — 298 B totidem verbis legitur eum esse ipsum Socratem — disputare et confabulare dedignatur 291 A, Socrates autem respondit: ἀλλ' ἐμοὶ οὐδὲν πρᾶγμα φύρεσθαι πρὸς τὸν ἄνθρωπον.

Et eam quoque ob causam viri docti Platoni hos dialogos abiudicaverunt! Nobis talia crimina nihil valent. Contra contendimus non alienum esse a vero Socrate adeo superbe et rustice et aspere homines aggredi, immo illis locis verum et historicum, quem vocant, Socratem per rimas pulcherrimae vestis Platonicae dilucere. Et, si quis rogat unde illud factum sit praesertim in his dialogis, ei respondemus Alcibiadem et Hippiam aliquatenus imitationes esse Xenophontis scriptorum, optime igitur fieri potuisse ut Plato, propterea quod ex alienis fontibus hauserat, non suum Socratem sed aliqua ex parte Xenophonteum in scenam produceret. Is autem, ut vidimus, non semper urbanitatem tanquam deam colebat.

Sed de hac imitatione plura in ultimo capite.

§ 5. SOCRATES ET CYNICI STOICIQUE INTER SE COMPARANTUR.

In spisso illo libro „Der echte und der Xenophontische Sokrates", Joël permulta attribuit cynicis quae iam ipsius Socratis fuere, neque ullum vocabulum vel una sententia in Xenophontis scriptis ad Socratem pertinentibus inveniri posse videtur quae non et apud Platonem occurrit. Πολυθρύλητα illa vocabula, ἀσκέω, ἐπιμέλεια, ἀνδρεία, ἀνδρίζειν, οὐ μαλθακιστέον εἶναι Theaet. 151 D, Alc. I 124 D, ἐγκράτεια, καρτερία, quae μαλακίᾳ opponitur. et eiusmodi vocabula apud Platonem saepe leguntur. Quam ob rem gravissimum crimen quod contra Joël afferri potest hoc est quod nimium neglexit accuratius Xenophontem cum Platone, urbanitatis habita ratione, comparare, ut inde eluceret Socratis ea omnia propria fuisse, cynicos autem praeterquam quod placitis eius dediti eiusdem philosophiae aemuli essent, vitam quoque Socratis sibi ad

imitandum, immo ad superandum vel exaggerandum proposuisse, Platonem, eius disputandi rationem secutum, opinionum acerbitatem et sententiarum duritiam moderatum esse, pro urbanitate sua paulo rarius exhibuisse, a vita Socratis durissima et tristissima et ab eius moribus aversum fuisse. Errat ille vir doctus qui arbitrari videtur e. g. cynicorum tantum fuisse continentiam illam o. l. II pag. 8: „Sokrates war enthalsam aber nicht aus Liebe zur Enthalsamkeit, sondern aus Liebe zu dem dialektischen Beruf, in dem er wie ein Heiliger(!) in seinem Ideal aufging"; pag. 9: „Folglich kann die Richtung des Kynismus zum praktischen Ideal der ἐγκράτεια in Sokrates principiell nicht einmal angedeutet sein, weil sie der sonstigen Sokratik indifferent, Aristipp sogar feindlich gegenüber steht."

Sectatorum alius aliam partem magistri sapientiae imitatus est. Socrates autem auctor fuit et conditor huius vivendi modi et ne Socrates quidem omnibus partibus, etenim et aliis philosophis, Pythagoreis praesertim, eiusmodi morum et vitae duritia placuisse videtur. Cynici in maius hanc hereditatis partem exaggeraverunt, ita ut Diogenes ille Platoni homo ridicule insanus videretur, Σωκράτης μαινόμενος, attamen Socrates. Xenophontem ergo ex ipso fonte hausisse credibile est neque cynicorum virtutes rettulisse.

Huius loci esse non potest, Joël, maximum Xenophontis accusatorem, quippe qui totum eum ex aliorum testimoniis pendere, immo plagiarium eum fuisse accuset, refutare. Cum autem haec pars eius morum Cynicis esset consimilis, haec addenda videbantur. Quod ad nostram disputationem attinet, demonstrasse nobis videmur sententiam nostram de Socrate niti argumentis et indiciis non solum ex Xenophonte verum et ex aliis scriptoribus et ex Platone petitis.

Praeterea de Stoicis haec non praetermittenda:

Quae postea apud Stoicos invenimus, sapientem solum esse regem, divitem, beatum, alios autem homines stultos atque insanos, haec iam Socrates habuit. Sapientia summis laudibus cumulatur et a Socrate et a Stoicis; ea enim omnes virtutes continentur. Sapiens deo similis est, cf. praeter locos allatos (Plato Symp. 203 A, Mem. I. 6. 10.) Diog. L. VII. 119 θείους τε εἶναι

ς. τοὺς σόφους, ἔχειν γὰρ ἐν ἑαυτοῖς οἱονεὶ θεόν cf. Theaet. 176 C. Diog. L. VI. 105. καθάπερ Διογένης, ὃς ἔφασκε θεῶν μὲν ἴδιον εἶναι μηδενὸς δεῖσθαι, τῶν δὲ θεοῖς ὁμοίων τὸ ὀλίγον χρῄζειν; cf. Plut. de Stoic. Rep. 13. alibi.

Sic Socrates quoque sapientiam omnibus rebus imprimis pecuniae anteponit cf. e. g. Apol. 30 B. Alcib. 131 BC. Xen. Mem. IV. 2. 9., et Xen. Apol. 18: ἐν τῇ πολιορκίᾳ —— τοὺς ἄλλους μὲν τὰς εὐπαθείας ἐκ τῆς ἀγορᾶς πολυτελεῖς πορίζεσθαι, ἐμὲ δὲ ἐκ τῆς ψυχῆς ἄνευ δαπάνης ἡδίους ἐκείνων μηχανᾶσθαι; Similia Xen. Oec. II. 2 et Symp. IV. 41 ubi Antisthenes loquitur; statim autem subiungit — ne viri docti huius saeculi, opinor, arbitrarentur et contenderent Xenophontem ea omnia ex Antisthene sumpsisse — ἄξιον δ' ἐννοῆσαι, ὡς καὶ ἐλευθερίους ὁ τοιοῦτος πλοῦτος παρέχεται. Σωκράτης τε γὰρ οὗτος, παρ' οὗ ἐγὼ τοῦτον ἐκτησάμην οὔτ' ἀριθμῷ οὔτε σταθμῷ ἐπήρκει μοι κ. τ. λ.

Talia vere Socratis esse elegantissimus locus in Platonis Phaedro sub finem demonstrat, ubi legitur quales preces, cuiusmodi vota a philosopho nostro concipiantur. Videatur illustris illa brevitas —— πλούσιον δὲ νομίζοιμι τὸν σοφόν κ. τ. λ.

Idem autem Stoici habuerunt cf. Cic. Paradoxa Stoicorum VI ὅτι μόνος ὁ σοφὸς πλούσιος. Passim praeterea τοὺς πολλούς nominant, et Socrates et Stoicus, ἠλιθίους, μώρους, δούλους. Similiter apud Stoicos vulgus profanum sunt homines qui philosophiam non meditantur. Optime haec nota sunt vel ex Horatio. Sic enim solum intellegi potest illud adiectivum *stultus*. (Sat. I. 3. 140. Sat. II. 3, 32, passim alibi).

Quicumque a nostra vitae ratione, a philosophia, a placitis nostris abhorrent, ita loquuntur Stoici, stulti sunt, stolidi, insani.

cf. Cic. Parad. Stoic. IV ὅτι πᾶς ἄφρων μαίνεται, V ὅτι μόνος ὁ σοφὸς ἐλεύθερος καὶ πᾶς ἄφρων δοῦλος.

Ita Socrates quoque μέγα ἐφ' ἑαυτῷ πνεῖ. Hac luce intellegimus quomodo illa vocabula πολυθρύλητα (μῶρος, δοῦλος, μαίνεσθαι) accipienda sint. Hac luce nobis Socrates melius cognoscitur. Hac luce apparet Socratem magnum fluvium fuisse qui pluribus brachiis in posteriora saecula se effundebat. Pater familias erat cuius et Stoicus nepos fuit. Haec eius tristitia et sententiarum

asperitas ei cum Stoicis communis erat Hunc Socratem, qui adeo fanatice sententiam protulit, superbum, acerbum saepe fuisse, non est quod miremur. Eundem autem urbanum in modum, immo elegantissime, quasi subtilissima quadam ironia indutum, cum hominibus potuisse colloqui, et ex Xenophonte (ubi e. g. cum scorto, cum Euthydemo confabulatur et disputat), et ex toto Platone novimus. Alterum viri docti summopere laudant, alterum detestantur, atque adeo videre nolunt.

§ 6. DE SOCRATIS IN APOLOGIA XENOPHONTEA SUPERBIA.

Etenim qui alios homines tam acerbe vituperat, nonne semet ipsum extollit? Nonne haec est magniloquentia indirecta quidem, ut aiunt, et obliqua, sed tamen eius modi ut appareat quam vehementer Socrati persuasum sit illos homines errare, seseque rectam veri inveniendi viam ingressum esse? Qui de adversariis loquitur talibus vocabulis ipse insolentiae accusari potest. Haec omnia autem consentiunt cum eis rebus, factis dictisque, quae aliunde de eo notae sunt. Hominem qui ne tranversum quidem digitum a veritate, ab officio discedere solebat, singulari contumacia, cuius vitae Ratio Regina erat inexorabilis atque surda, cuius καρτερία, ἐγκράτεια, αὐτάρκεια, sordida vestis (Arist. Aves. 1282), alia ex eo genere, proverbii loco laudantur, qui mortem in pugna non timebat, *Fanaticum iusti et aequi*, *Ascetam*, ut ita dicam, cuius facta adaequabant dicta, talem hominem liberrimum saepe in modum locutum esse, verisimillimum est. Ἀνυπόδητον nostrum et ἄλουτον deinde non, sicut Platonem, magistrum elegantiarum fuisse neque urbanitatem tanquam deam coluisse sed magis veritatem et libertatem amicas habuisse luce clarius est. Μυώψ erat, ut in praeclaro loco apud Platonem legimus (Apol. 30 E ἐὰν γὰρ — προσκαθίζων) Stimulabat homines et eos pungebat παίζων et σκώπτων. Lacessivit eos et provocavit et saepe eius verba aculeum habuerunt ad animum iuvenum incitandum. Permulti qui provectiore erant aetate contumeliarum aculeos molestissime ferebant. Ubi autem fortiter et

strenue contra inimicos, hostes pugnandum fuit, truces eius oculi suspiciebant et tanquam taurus minitabundus circumspiciebat. Verisimile ergo eum ante iudices quoque contra accusatores liberrime locutum esse.

Hac disputatione praemissa Apologias Xenophontis Platonisque inspiciamus et investigemus uter veram eius superbiam, magniloquentiam, animi magnitudinem servaverit.

In initio Apologiae Xenophon narrat complures alios iam de Socrate causam suam defendente scripsisse et apud omnes eum rem superbe gessisse (*καὶ πάντες ἔτυχον τῆς μεγαληγορίας αὐτοῦ*). Ex illo consensu opinionum iure sibi visus est efficere re vera eum ita locutum esse (*ᾧ καὶ δῆλον, ὅτι τῷ ὄντι οὕτως ἐρρήθη ὑπὸ Σωκράτους*). Etenim multa de eo varie tradebantur neque ipse Xenophon in iudicio adfuit; hac ergo in re totus ex aliorum testimonio pendebat. Neque tamen unus auctor vel unus testis ei sufficiebat. Cf. Mem. IV. 8. 11 *τοιαῦτα μὲν πρὸς Ἑρμογένην τε διελέχθη καὶ πρὸς τοὺς ἄλλους*. Apol. Xen. 8 *ὀρθῶς δε οἱ θεοὶ τότε μου ἠναντιοῦντο — ὅτε ἐδόκει ὑμῖν ζητητέα εἶναι ἐκ παντὸς τρόπου τὰ ἀποφευκτικά*, ex quibus locis patet saepius cum amicis eum de defensione collocutum esse. Praeterea credibile est de more Socraticorum amicos inter se damnationem et mortem venerandi et carissimi magistri saepissime sermonibus celebravisse. (Quod autem Hermogenes cum Xenophonte *causas* communicavit quibus magniloquentia *perspicua fieret* et *melius intellegeretur*, id huius disputationis non est nequedum tractandum).

Nunc vero locos percurramus.

Apol. 5. *οὐκ οἶσθα, ὅτι μέχρι μὲν τοῦδε οὐδενὶ ἀνθρώπων ὑφείμην ἂν βέλτιον ἐμοῦ βεβιωκέναι; ὅπερ γὰρ ἥδιστόν ἐστιν, ᾔδειν ὁσίωσ μοι καὶ δικαίως ἅπαντα τὸν βίον βεβιωμένον· ὥστε ἰσχυρῶς ἀγάμενος ἐμαυτόν κ. τ. λ.* Cf. Plat. Apol. 37 AB. Xen. Mem. IV. 4. 11.

Apol. 7. *ὅταν γὰρ* ——— *πῶς οὐκ ἀνάγκη τοῦτον ποθεινὸν εἶναι;*

Apol. 9. *μὰ Δί', εἰπεῖν αὐτὸν, ὦ Ἑρμόγενες, ἐγὼ ταῦτα οὐδὲ προθυμήσομαι* ——— *καὶ ἣν ἐγὼ δόξαν ἔχω περὶ ἐμαυτοῦ, ταύτην ἀναφαίνων εἰ βαρυνῶ τοὺς δικαστάς κ. τ. λ.*

Quae verba licet non ante iudices dicta sint, tamen hae deliberationes quas cum amicis habuit ad defensionem pertinent et luculenter ostendunt qualem de se habuerit opinionem.

Apol. 13. καὶ οἶμαι οὕτως ὀνομάζων καὶ ἀληθέστερα καὶ ὁσιώτερα λέγειν.

Apol. 14. Ἄγε δὴ ἀκούσατε καὶ ἄλλα ἵνα ἔτι μᾶλλον οἱ βουλόμενοι ὑμῶν ἀπιστῶσι τῷ ἐμὲ τετιμῆσθαι ὑπὸ δαιμόνων.

Apol. 14. ἀνεῖλεν ὁ Ἀπόλλων μηδένα εἶναι ἀνθρώπων ἐμοῦ μήτε ἐλευθεριώτερον μήτε δικαιότερον μήτε σωφρονέστερον.

Apol. 15. ἐμὲ δὲ θεῷ μὲν οὐκ εἴκασεν, ἀνθρώπων δὲ πολλῷ προέκρινεν ὑπερφέρειν, deinde § § 16, 17, 18, 19 καθ' ἓν ἕκαστον demonstrat verum dixisse oraculum et semet ipse laudibus extollit.

Apol. 21. ἐμὲ δέ, ὅτι περὶ τοῦ μεγίστου ἀγαθοῦ ἀνθρώποις, περὶ παιδείας, βέλτιστος εἶναι ὑπὸ τινων προκρίνομαι, κ. τ. λ.

Apol. 23. ἔλεγεν ὅτι τὸ ὑποτιμᾶσθαι ὁμολογοῦντος εἴη ἀδικεῖν. Cf. Plat. Apol. 37 B.

Apol. 24. ἐμοὶ δέ τι προσήκει νῦν μεῖον φρονεῖν κ. τ. λ.
deinde § 26 quoque plena superbiae est.
Finis autem orationis coronat opus.

Apol. § 27. ἀπῄει καὶ ὄμμασι καὶ σχήματι (novimus eius habitum!) καὶ βαδίσματι φαιδρός.

Vid. praeterea § 29, 30.

Numina ei favebant; aperte et libere hoc demonstrat. Ob eam rem nonnullis iudicibus invidiae est. Tantum autem abest ut illam invidiam caveat ut eos etiam exacerbare audeat Apol. 14.

Etenim damnationem suam praevidebat praemonitus a deo. Apol. 5. 7. Apol. Plat. 40 B. C. 41 D. Septuaginta fere annos natus impietatis accusabatur. Non ignorabat qualis erga se hominum i. e. iudicum animus esset, quanta potentia adversariorum, quanta sua ipsius innata libertas. Persuasum igitur ei erat non posse se non causa cadere. Accedebat enim ut orationem meditari daemonium nollet. Mors autem ei instabat septuagenario. Molesta senectus ei non arridebat, immo effugienda videbatur;

cf. Xen. Apol. 6. Xenophontis obtrectatores qui contendunt admodum infirmam eam esse prolatam causam et Socratem, sic ut Sophocles, Aeschylus, alii, mente integra nonaginta annos potuisse complere, Platonem inspiciant velim ubi Socrates apertis verbis dicit se vitam quasi poculum usque ad fundum exhausisse neque ullam guttam relictam esse. Phaed. 117 A γλιχόμενος τοῦ ζῆν καὶ φειδόμενος οὐδενὸς ἔτι ἐνόντος.

Defatigatum esse se laboribus ipse declarat Plat. Apol. 41 D. ἤδη τεθνάναι καὶ ἀπηλλάχθαι πραγμάτων βέλτιον ἦν μοι.

Damnatio ergo ei nocere iam non potuit, neque eum dolore afficere neque eius animum anxiis curis implere. Nihil damni faciebat quod vita privaretur. Ultro elicere damnationem et lacessere iudices in animo ei non erat. Libertatem suam indomitam et ferociam quam per totam vitam nulli homini deposuerat neque ante iudices suppressurus erat. Quam si ferre non poterant, mors ei humilitati anteponenda videbatur. In inutiles fletus, querelas, preces se proicere dedignatus est. cf. Xen. Apol. 9, Plat. Apol. 38 DE. Quid enim? Mox naturae concedere debebat, mors instabat. Duobus igitur fundamentis eius superbia et magniloquentia nitebatur, et quod vitam suam ad finem perduxerat et quod, cum haec eius indoles esset, animum ingeniumque mutare nequibat. Ita perspicuum fit et melius intellegitur quo factum sit ut ante iudices surgeret et alta, ut itam dicam, voce suam ipsius virtutem praedicaret. Acerba quidem ea superbia est neque urbana, nobis tamen pulchra. Qui urbanitatem et simulationem — totus fere mundus histrionem exercere videtur — plurimi facit, modestam de se opinionem, si non habere, attamen palam ostendere debet, neque ei licet laudando se met ipsum extollere. Socrates vero ante iudices pugnator exstitit, non demissa voce iudicibus supplicans, — ξὺν τῷ δικαίῳ γὰρ μέγ' ἔξεστιν φρονεῖν —, sed minitabundus δῆλος ὢν παντὶ καὶ πάνυ πόρρωθεν, ὅτι εἰ ἅψεται τούτου τοῦ ἀνδρός, μάλα ἐρρωμένως ἀμυνεῖται. Apologia fiebat carmen quo suas ipse laudes cecinit. Laude non poena dignus erat; gratia debebatur, non damnatio. Tali oratione iudices exasperavit id quod non ignorabat, Apol. 9. Quis esset et qualis esset exposuit Platonica illa urbanitate et modesta verecundia remotis.

Igitur per totam Apologiam Xenophonteam videmus Socratis veram animi magnitudinem (i. e. qualis re vera ea erat), vel, ut malevoli obtrectatores aiunt, iactantiam. Nobis ea non miranda est. Novimus enim eius ingenium. Contra gaudemus passim talia dicta legi, totius orationis tenorem et indolem eius modi fuisse, philosophum nostrum accusatoribus et iudicibus irridentem pulchrum cycni cantum alta voce cecinisse.

§ 7. DE SOCRATIS IN APOLOGIA PLATONICA SUPERBIA.

At Plato? Apud Platonem alius Socrates se nobis offert, pulchra veste verecundiae, modestiaeque indutus, homo urbanus neque durus, homo elegans neque incultus, *λελουμένος τε καὶ τὰς βλαύτας* — quas fortasse numquam habuit — *ὑποδεδεμένος*, homo *καλὸς γεγενημένος*. Alius Socrates qui timet accusatores et obtrectatores. Apol. 18 B. *οὓς ἐγὼ μᾶλλον φοβοῦμαι ἢ τοὺς ἀμφὶ Ἄνυτον, καίπερ ὄντας καὶ τούτους δεινοὺς κ. τ. λ.* et paulo post *οὗτοι οἱ δεινοί εἰσίν μου κατήγοροι.* Prorsus alio quoque modo iudices alloquitur. Apud Xenophontem verba mirantis et indignantis legimus, Xen. Apol. 11: *ἀλλ' ἐγώ, ὦ ἄνδρες κ. τ. λ.*, superbientis vero § 14 *ἄγε δὴ ἀκούσατε καὶ ἄλλα* ——— *κ. τ. λ.* Addit etiam captationem benevolentiae, quam vocant, 17 C *καὶ μέντοι καὶ πάνυ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῦτο ὑμῶν δέομαι καὶ παρίεμαι* ——— *μήτε θαυμάζειν μήτε θορυβεῖν τούτου ἕνεκα.* ——— *ὥσπερ οὖν ἂν ξυνεγιγνώσκετε δήπου ἄν μοι, κ. τ. λ.*

Praeterea ipse fatetur magna difficultate se affici quod sibi pugnandum est contra obtrectatores ignotos 18 C *ὃ δὲ πάντων ἀλογώτατον ὅτι οὐδὲ τὰ ὀνόματα οἷόν τε αὐτῶν εἰδέναι καὶ εἰπεῖν* ——— *οὗτοι πάντες ἀπορώτατοι εἰσιν.*

Videte, exclamat, iudices, inopiam meam! Intellego me opus agressum esse maius quam quod bene mihi cedere posset. Quamobrem misericordiam vestram imploro. Ut bonum civem et modestum virum decet, legibus parendum esse intellego. Timidus autem et anxius incipiam. 19 C *ἐπιχειρητέον* . *τῷ δὲ νόμῳ πειστέον καὶ ἀπολογητέον.*

Praeterea apud Platonem in eius Apol. saepe submisse, demisse timide, numquam acerbe, perraro superbe loquitur. cf. 19 C καὶ οὐχ ὡς ἀτιμάζων λέγω τὴν τοιαύτην ἐπιστήμην.

Hoc loco fortasse ironia quaedam subest. Sed non totus locus per ludibrium dictus est. Si bene perspexerimus quomodo alia omnia huiuscemodi dicta sint, apparebit hic quoque urbanum illum Platonicum Socratem loqui, non quidem sine dissimulatione sed tamen anxie cavens ne offendat physicos, qui et apud ipsum Platonem non sine honore sunt. Platonem enim ipsum cum assensu doctrinam physicorum saepe laudavisse et in suos dialogos transtulisse ex Phaedone, Timaeo, aliunde notum. Accedit ut omnia haec verba 19 C ἀλλὰ γὰρ ἐμοὶ τούτων κ. τ. λ. cum emphasi pronuntiata sint neque sine confirmatione quadam et asseveratione. Magna contentione iudices monet et hortatur ut alius alium de hac re doceat: ἀλλὰ γὰρ ἐμοὶ τούτων, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, οὐδὲν μέτεστιν. μάρτυρας δ' αὐτῶν ὑμῶν πολλοὺς παρέχομαι, καὶ ἀξιῶ ὑμᾶς ἀλλήλους διδάσκειν τε καὶ φράζειν, ὅσοι ἐμοῦ πώποτε ἀκηκόατε διαλεγομένου· πολλοὶ δὲ ὑμῶν οἱ τοιοῦτοί εἰσι· φράζετε οὖν ἀλλήλοις, εἰ πώποτε ἢ σμικρὸν ἢ μέγα ἤκουσέ τις ὑμῶν ἐμοῦ περὶ τῶν τοιούτων διαλεγομένου· καὶ ἐκ τούτου γνώσεσθε ὅτι τοιαῦτ' ἐστὶ καὶ τἆλλα περὶ ἐμοῦ ἃ οἱ πολλοὶ λέγουσιν. ἀλλὰ γὰρ οὔτε τούτων οὐδὲν ἐστιν, οὐδέ γ' εἴ τινος ἀκηκόατε ὡς ἐγὼ παιδεύειν ἐπιχειρῶ ἀνθρώπους καὶ χρήματα πράττομαι, οὐδὲ τοῦτο ἀληθές.

Non ignoro hic atque illic, sic ut urbanum et facetum hominem decet, ironice loqui Socratem. Haec autem ab omni dissimulatione aliena esse quivis videt. Hoc modo loquitur is qui extra iocum et serio rem gerit, id quod ipse diserte asseverat: 20 D καὶ ἴσως μὲν δόξω τισὶν ὑμῶν παίζειν, εὖ μέντοι ἴστε, πᾶσαν ὑμῖν τὴν ἀλήθειαν ἐρῶ. cf, 17 B, 33 C.

Ubi autem de Chaerephonte oraculum Apollinis consulente loqui incipit maxime operam dat ne vanitatis, impietatis, superbiae accusetur. Excusantis permulta legimus hic vocabula: καί μοι μὴ θορυβήσητε, μηδ' ἐὰν δόξω τι ὑμῖν μέγα λέγειν· οὐ γὰρ ἐμὸν ἐρῶ τὸν λόγον, ὃν ἂν λέγω, ἀλλ' εἰς ἀξιόχρεων ὑμῖν τὸν λέγοντα ἀνοίσω. τῆς γὰρ ἐμῆς, εἰ δή τίς ἐστι σοφία καὶ οἵα, μάρτυρα ὑμῖν παρέξομαι τὸν θεὸν τὸν ἐν Δελφοῖς. ——— καὶ ἴστε

δὴ οἷος ἦν Χαιρεφῶν, ὡς σφοδρὸς ἐφ' ὅτι ὁρμήσειε. καὶ δή ποτε καὶ εἰς Δελφοὺς ἐλθὼν ἐτόλμησε τοῦτο μαντεύσασθαι· καί, ὅπερ λέγω, μὴ θορυβεῖτε, ὦ ἄνδρες· (hisce omnibus verbis praemissis deprecari invidiam et minuere nimiam insolentiam conatur, postremo caute et timide et invitus narrat quantum facinus audax commiserit.) *ἤρετο γὰρ δὴ εἴ τις ἐμοῦ εἴη σοφώτερος.*

Pudet me amici mei iudices, neque haec protuli ut memet ipsum laudarem. *Σκέψασθε δὲ ὧν ἕνεκα ταῦτα λέγω· μέλλω γὰρ ὑμᾶς διδάξειν.* Per totam Apologiam Socrates iudices alloquitur benevole tanquam discipulos quibus persuadere conatur — non item accusatores cf. 24 D —. Illud *σκέψασθε* verbum est quod in deliciis habet, saepius eo utitur et apud Xenophontem et apud Platonem in colloquiis quae cum amicis habet.

Totus locus elegantissimus est et subtilissimus.

Talem autem in hominem non quadrat illud Xenophontis *καὶ ὄμμασι καὶ σχήματι καὶ βαδίσματι φαιδρός.* Quae praeterea pag. 21 E leguntur omnia excusantis sunt et verecunde et demisse dicta. Non mea, inquit, culpa est, iudices, me odio esse hominibus. Putabam autem me debere investigare quid sibi vellet illud oraculum, quomodo deorum responsum intellegendum esset; et labores suos narrat. Verecundia Socratis Platonici etiam perspicitur Apol. 35 A *ἀλλ' οὖν δεδογμένον γέ ἐστι τὸ Σωκράτη διαφέρειν τινὶ τῶν πολλῶν ἀνθρώπων,* ubi Schanz in Edit. adnotat: „Sokrates' Bescheidenheit legt diesen unbestimmten Ausdruck nahe". Fugit virum acutum deque Platone optime meritum hoc de Platonico Socrate tantum modo dici posse. Re vera Socrates verecundus non erat!

Idem alibi 38 C *φήσουσι γὰρ δή με σοφὸν εἶναι, εἰ καὶ μὴ εἰμί* cf. Euthyphr. 11 D *ἄκων εἰμὶ σοφός.* Demissa quoque eius vox est 39 B:

ταῦτα μέν που ἴσως οὕτως καὶ ἔδει σχεῖν, καὶ οἶμαι αὐτὰ μετρίως ἔχειν.

41 D *καὶ ἔγωγε τοῖς καταψηφισαμένοις μου καὶ τοῖς κατηγόροις οὐ πάνυ χαλεπαίνω.*

Iudicibus et accusatoribus non suscenset, ignorant enim quae fecerint.

Sed innumerabiles loci sunt qui opponi possunt locis apud

Xenophontem obviis. Socrates Xenophonteus prorsus aliter causam suam defendit quam S. Platonicus. Alius vultus, alius habitus, alia verba, alia vox et tenor.

Neque autem eum apud Platonem *ironice* loqui manifestum et luce clarius est e praeclaris locis. 23 A Ἐκ ταυτησὶ δὴ τῆς ἐξετάσεως usque ad ἀλλ' ἐν πενίᾳ μυρίᾳ εἰμὶ διὰ τὴν τοῦ θεοῦ λατρείαν. Haec iocantis vel dissimulantis vel ludentis non sunt. Et 24 A inde a ταῦτ' ἐστιν ὑμῖν τἀληθῆ usque ad οὕτως εὑρήσετε asseverantis sunt. Huc facit quoque illa quae 31 C leguntur: ἱκανὸν γάρ, οἶμαι, ἐγὼ παρέχομαι τὸν μάρτυρα, ἀληθῆ ὡς λέγω, τὴν πενίαν.

Quivis videt haec verba non esse iocantis, nullam ironiam in eis inesse, immo vero loquitur saepe tanquam Nazarenius ille, submissa voce. Omnis ironia ab his verbis abhorret. Graviter loquitur deorum minister, id quod etiam melius apparet e notissimo loco 29 C. q. s.

Per totam Apologiam *deorum minister* depingitur, *martyr* qui demissa voce causam agit non ignarus sortis futurae, cf. 33 C ἐμοὶ δὲ τοῦτο προστέτακται ὑπὸ τοῦ θεοῦ πράττειν κ. τ. λ.; 37 C τῷ θεῷ ἀπειθεῖν τοῦτ' ἐστίν; 41 C οὐδὲ τὰ ἐμὰ νῦν ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου γέγονεν; 33 A τὰ ἐμαυτοῦ πράττοντος. Gravi ministerio defessus nihilo minus ad finem perducere vult vitam difficilem et dolorosam cf. 41 D ἀπηλλάχθαι πραγμάτων βέλτιον ἦν μοι.

Verba eius nonnumquam *subamare* dicta cf. 28 A ἃ δὴ πολλοὺς καὶ ἄλλους ἀγαθοὺς ἄνδρας ᾕρηκεν, οἶμαι δὲ καὶ αἱρήσειν· οὐδὲν δὲ δεινὸν μὴ ἐν ἐμοὶ στῇ.

Tragicum quem vocant dolorem 37 C. D. E. sentimus. Si autem nobis videmur perspicere nonnullis in locis superbiam, non vivida ea est neque ferox, neque illius Socratis qui minitabundus in pugna se recepit, illius philosophi qui accusatores et iudices — τοὺς πολλούς — omnes infra se arbitrabatur. Alia superbia haec est. Ubi enim 30 C gloriatur maiorem esse se quam ut sibi noceri possit, gloriatio illa maior est quam humana. Ipse enim homine maior est quod totidem verbis nos monet 31 B, οὐ γὰρ ἀνθρωπίνῳ ἔοικε τὸ ἐμὲ τῶν μὲν ἐμαυτοῦ ἁπάντων ἠμεληκέναι κ. τ. λ. Finis autem orationis idem est. Apud Xen. ἀπῄει καὶ ὄμμασι καὶ βαδίσματι φαιδρός. Apud Platonem longe aliter: ἀλλὰ γὰρ ἤδη ὥρα

ἀπιέναι, ἐμοὶ μὲν ἀποθανουμένῳ, ὑμῖν δὲ βιωσομένοις· ὁπότεροι δὲ ἡμῶν ἔρχονται ἐπὶ ἄμεινον πρᾶγμα, ἄδηλον παντὶ πλὴν ἢ τῷ θεῷ.

Sollemniter hic oratio finitur. Socrates abit non contemnens inimicos et iudices superbiam prae se ferens, sed quasi quidam deorum minister qui iamiam divinis regionibus recipietur; tanquam amicus discedit, in quo nulla ira inest, nulla superbia. Omni dissimulatione remota usque ad finem aperte pergit persuadere hominibus non suam vitae conditionem miserabilem esse sed illorum, melius autem esse vivere sic ut ipse vixerat et aetatem egerat, neque superba iracundia commotus, verum divina erga homines pietate. Discedere eum e vita necesse est. Hoc iam antea intellexit. Aequo animo necessitati paret, quoniam deus ita voluit. Iudicibus et inimicis non suscenset; ignorant enim quae fecerint.

§ 8. DE PLATONE SOCRATEM SUUM EXPOLIENTE.

Ante quam huic disputationi finem imponam pauca mihi restant quae de Platone Socratem expoliente deque Platonici Socratis urbanitate observare velim.

Plato homo erat summo loco natus et vivendi eius ratio et vitae institutio a Socratica longe differebat. Nota illa Socratis victus atque cultus parsimonia, quamquam summa paupertate atque inopia premebatur — πενίᾳ μυρίᾳ —, non aliena erat ab eius philosophia atque doctrina, immo arte cum ea coniuncta. Talis vita ei placebat, sententia eius erat ita optime vivere homines (cf. Mem. I. 6. Xen. Apol. 18 et permulti alii loci apud Platonem ubi cum contemptu loquitur de pecunia. Alc. 131 B. C., 132 C, 134 B alibi).

Ἐγκρατεία illa, ἀνδρεία, καρτερία, libertas, ἄσκησις, τὸ ἀνυπόδητον εἶναι, haec omnia pertinebant ad vitae eius rationes et instituta. Deam illam, cui Philosophia nomen est, non solum disputationibus dialecticis venerabatur sed etiam vitae suae Ducem sibi sumpserat. Plato aliter vivebat, id quod elucet vel ex notissima narratiuncula de Diogene superbos Platonis toros et fastum decalcante (Diog. Laert. VI. 26.). E Socrate disputante et disserente sibi exemplum sumere non dedignatus est, *viventem autem imitari noluit.*

Attamen haec dimidia pars eius sapientiae erat. Socrates enim non solum demonstrat Ratione Duce esse disputandum sed etiam vivendum. Hanc philosophi nostri hereditatis partem Antisthenes et cynici quasi quoddam gratissimum pulcherrimumque munus ardenti studio acceperunt; a Platone tota neglecta est. Plato *ἄσκησιν* illam, libertatem pauperrimam non amplexus est, neque *ἀνυπόδητος, ἄλουτος* Athenis deambulabat. Illud *σωκρατοῦν* quoque (Ar. Aves. 1282), quod cynicis valde arridebat, Platoni vehementer displicuisse credibile est.

Plato, si his verbis uti licet, *verbo tenus*, i. e. in philosophando et disputando, non *re*, i. e. in vivendo Socratice, magistrum imitatus est. *Μέθοδον διαλεκτικὴν καὶ εὑρετικήν*, quam sic vocant, laete et avide arripuit, urbanitate sua ornavit atque excoluit. Vitam aliam sibi proposuit; atque, nisi omnis narratiunculis fides deneganda est, Socrates libertatem maximi putavit, neque Archelaum regem colere voluit. Plato colens Dionysium, tyrannum, nonum, pessimum infimumque genus hominum (cf. Phaedr. 248 E) alieni iuris, alienae potestatis fieri non recusavit, etsi hoc non servilem in modum fecisse putandus est, cf. tamen Diog. L. VI 58 de Diogene olera lavante. Optime igitur intellegitur non durum suum Socratem Platonem esse voluisse, neque arrogantem et vanum, licet re vera, et in eius vita, et apud Xenophontem in Apol. et in Mem., talem saepe se praebuit. Ubi Plato ergo affirmat non eum esse arrogantem, contrarium nobis statim in mentem venit. Durum illum Socratem expolivit e. g. p. 34 E legitur: *οὐκ αὐθαδιζόμενος, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, οὐδ' ὑμᾶς ἀτιμάζων*, item 37 A *ἀπαυθαδιζόμενος*.

Omnem speciem arrogantiae statim avertit; ipsum autem Platonem eis locis dilucere non est quod moneamus. Etenim Plato omnem maculam acerbitatis et rusticitatis delevit; ab omni duritia et inhumanitate Socratem Platonicum abhorrere facile suspicamur ex 32 A: *ἐρῶ δὲ ὑμῖν φορτικὰ μὲν καὶ δικανικά, ἀληθῆ δέ.* et 32 D: *τότε μέντοι ἐγὼ οὐ λόγῳ, ἀλλ' ἔργῳ αὖ ἐνεδειξάμην ὅτι ἐμοὶ θανάτου μὲν μέλει, εἰ μὴ ἀγροικότερον ἦν εἰπεῖν, οὐδ' ὁτιοῦν.* Ubi ei dicendum est aliquid nimis durum, aliquid impium, brevem formulam avertendi causa praemittit. Anxius enim est ne peccet contra mores

qui hominem urbanum decent. Rusticitatis et duritiae illa avertendae formula et aliis in dialogis interponitur, neque solum Socrati datur, sed etiam aliis dramatis personis, ex qua re patet Platonis illam locutionem esse, Platonem ibi dilucere, vid. Gorg. 462 E, 509 A, 486 C, Euthyd. 283 E, Theaet. 146 A, Alcib. 118 B; hoc in dialogo saepe veri Socratis vestigia deprehendimus, nihilominus Platonica urbanitate formula praemittitur ὀνομάζειν ὀκνῶ, postremo acerbam sententiam protulit, ἀμαθίᾳ συνοικεῖς τῇ ἐσχάτῃ. Huc quoque facit Theaet. 155 E. Ἄθρει δὴ περισκοπῶν, μή τις τῶν ἀμυήτων ἐπακούῃ. εἰσὶ δὲ οὗτοι οἵ οὐδὲν ἄλλο οἰόμενοι εἶναι ἢ οὗ ἂν δύνωνται ἀπρὶξ τοῖν χεροῖν λαβέσθαι, πράξεις δὲ καὶ γενέσεις καὶ πᾶν τὸ ἀόρατον οὐκ ἀποδεχόμενοι ὡς ἐν οὐσίας μέρει.. Hoc loco cynicos impugnat cf. notum illud dictum Antisthenis vel Diogenis (cf. Diog. Laert. VI 53) ἵππον μὲν ὁρῶ, ἱππότητα δέ οὐχ ὁρῶ Pergit deinde Theaetetus: καὶ μὲν δή, ὦ Σώκρατες, σκληρούς γε λέγεις καὶ ἀντιτύπους ἀνθρώπους Socrates Platonicus respondet: *Εἰσὶ γάρ, ὦ παῖ, μάλ' εὖ ἄμουσοι· ἄλλοι δὲ πολὺ κομψότεροι, κ. τ. λ.* Verus autem Socrates magis cynicorum erat.

De Socrate expolito videatur quoque Phaedr. 243 C ubi fere magistri elegantiarum partes agit et veretur speciem praebere ἐν ναύταις που τεθραμμένων.

Ipsum autem Platonem loqui eis locis per hunc Socratem nunc facile intellegimus. Pluribus locis ex aliis dialogis allatis hanc nostram sententiam corroborare haud difficile est; haec autem ad tuendam opinionem sufficiant.

Ut paulisper ad Apologiam Platonis redeamus, pagina 37 A ipse exponit quomodo eius superbia, si quidem hoc nomine digna est. accipienda sit, τὸ δὲ οὐκ ἔστιν, ὦ Ἀθηναῖοι, τοιοῦτον, ἀλλὰ τοιόνδε μᾶλλον κ. τ. λ Immo vero adeo benevolus iudicibus est ut morem gerere vult legibus et τιμᾶται τριάκοντα μνῶν. Summa urbanitas et summa benevolentia!

Expedit quoque inter se conferre verba Socratis Xenophontei et Platonici de placitis et doctrina aliorum philosophorum iudicantis.

Apud Platonem urbane vel ironice de eis loquitur cf. Apol. 19 C. καὶ οὐχ ὡς ἀτιμάζων λέγω τὴν τοιαύτην ἐπιστήμην κ. τ. λ. idem Phaedr. 229 E. γελοῖον δέ μοι φαίνεται τοῦτο ἔτι ἀγνοοῦντα τὰ ἀλλότρια

σκοπεῖν. Ridiculum non tam ex sententia Socratis quam Platonis. Plato homo urbanus satis habet leni risu stultitias aliorum refellere et praeterire. Non potest insolenter et acerbe eis convicia facere et maledicta conicere. Aliter verus Socrates. Cf. Xen. Mem. I, 1, 11—12 ἀλλὰ καὶ τοὺς φροντίζοντας τὰ τοιαῦτα μωραίνοντας ἀπεδείκνυε κ. τ. λ. cf. Mem. IV 7. 6 παραφρονῆσαι —— ὥσπερ Ἀναξαγόρας παρεφρόνησεν. Conf. praeterea locus in Mem. I. 6. 13 quo legitur illa acerbissima cum scortis comparatio. Contra Apol. Plat. 22 D opificum arrogantiam leni vocabulo, utpote Socrates Platonicus, ridet et reprehendit, πλημμέλειά dico.

Nonnumquam similes loci prorsus contrariam sententiam exhibent. Verus Socrates et Socrates Platonicus ibi inter se pugnare videntur.

Apud Plat. Lys. 206 B comiter admodum et humane et omni venustate affluens disputat cum adulescentulo καὶ μὲν δὴ λόγοις τε καὶ ᾠδαῖς μὴ κηλεῖν ἀλλ' ἐξαγριαίνειν πολλὴ ἀμουσία. Contra in Theaeteto l. l. legimus καὶ ἐὰν ἄρα σκοπούμενός τι ὧν ἂν λέγῃς ἡγήσωμαι εἴδωλον καὶ μὴ ἀληθές, εἶτα ὑπεξαιρῶμαι καὶ ἀποβάλλω, μὴ ἀγρίαινε κ. τ. λ. —— πολλοὶ γὰρ ἤδη, ὦ θαυμάσιε, πρός με οὕτω διετέθησαν, ὥστε ἀτεχνῶς δάκνειν ἕτοιμοι εἶναι κ. τ. λ.

Vulgo Socrates apud Platonem nihil aliud atque dramatis persona, πρόσωπον, est. Hic atque illic per rimas pulcherrimae vestis Platonicae verus Socrates a Platonico nonnihil diversus translucet.

Desinant tandem nonnulli viri docti Socratem pro sancto habere, quippe commoti notissima illa imagine tanquam hominis integri castique atque omni labe carentis, qualis nobis in Plat. Apol. et Phaedone depingitur. Non erat ἡμίθεος, quibus in Apol. 41 A fere adaequatur. Homo erat et humani nihil ab eo alienum. Qua re nobis nimbus ille a maioribus traditus amovendus est. Libentissime assentior tribus viris doctis quorum sententias video laudatas in libro cui titulus: Aus Altertum und Gegenwart, Robert von Pöhlmann, München pag. 3. 5.

Iam Goethe monuit „dasz man sich von dem Dienst des Götzenbildes, das Plato bemalt und vergöldet, dem Xenophon geräuchert, zu einem Standpunt erheben müsse, da statt des Heiligen ein wahrer Mensch erscheint".

Idem E. Schwartz: „Den Idealtypus soll der Charakterkopf ersetzen, die klassischen Gespenster sich verdichten zu Individuen leibhaften Wesens".

Postremo vWilamowitz: „So verdienen auch die groszen Athener, dasz man ihr Wirken, ihre Person entkleidet von dem klassischen Nimbus individuell und geschichtlich zugleich erfasse, soweit es eben möglich. Dann lernt man allmählich begreifen, was der Genius wollte und wie er wirkte aus seiner Zeit auf seine Zeit".

Discipuli post mortem scriptis suis cultu paene divino eum prosecuti sunt. Posteritas hanc eius gloriam etiam auxerunt. Suae ipsorum inanitatis et levitatis pertaesa magna pars hominum adorandi desiderio tenetur, adorant autem eos viros qui magno ingenio praediti alios altitudine et magnitudine animi longe superant. Saepe tamen, si illos viros ingeniosos ex propinquo contemplamur, expectationem nostram frustantur et fallunt. Tum videmus et apud eos virtutes vitiis permixtas esse.

Effectus huius capitis nobis triplex esse videtur.

I. Socrates non semper erat homo elegans et urbanus, sed saepe durus, incultus, superbus, acerbus, mordax.

II. Xenophon in Apologia sua nobis veram superbiam et magniloquentiam dedit et verum Socratem.

III. Plato nobis hominem divinum sed fictum ante oculos posuit, cuius superbia quoque inhumana et prope divina, languida et contra veritatem est.

CAPUT II.

DE DAEMONIO.

§ 1. DEFENSIO ET CAUSAE TRACTATIO APUD XENOPHONTEM.

Xenophonte auctore accusatio his fere verbis scripta erat: *Ἀδικεῖ Σωκράτης οὓς μὲν ἡ πόλις νομίζει θεοὺς οὐ νομίζων, ἕτερα δὲ καινὰ δαιμόνια εἰσφέρων· ἀδικεῖ δὲ καὶ τοὺσ νέους διαφθείρων.* Mem. I. 1. 1; Apol. 10.

Patrios deos Socrates non colit; alia nova atque inaudita i. e. *καινά* daemonia introducit.

Videmus crimen impietatis e duabus partibus constare. Rogamus quomodo hoc crimen et apud Xenophontem, et apud Platonem, diluatur et refutetur.

Xenophon in Apologia sua statim ad rem ipsam venit, statim crimen gravibus idoneisque argumentis refellere conatur. Apol. 11 liberrimum in modum, admirabundus, ne dicam indignabundus, Socrates, sic ut re vera eum fecisse credibile est, incipit hisce verbis: *Ἀλλ᾽ ἐγώ, ὦ ἄνδρες, τοῦτο μὲν πρῶτον θαυμάζω Μελήτου ὅτῳ ποτὲ γνοὺς λέγει, ὡς ἐγὼ οὓς ἡ πόλις νομίζει θεοὺς οὐ νομίζω.*

Deinde unicum argumentum quod afferre potest idoneum adhibet, dico *argumentum e vita*: *ἐπεὶ θύοντά γέ με ἐν ταῖς κοιναῖς ἑορταῖς καὶ ἐπὶ τῶν δημοσίων βωμῶν καὶ οἱ ἄλλοι οἱ παρατυγχάνοντες ἑώρων καὶ αὐτὸς Μέλητος εἰ ἠβούλετο.*

Haec ei refutatio sola restabat. Quibus enim aliis argumentis tale crimen ei diluendum erat? *Verbis* hic pugnandum non erat: *facta* sua Socrates iudicibus in memoriam revocat. Brevissime haec a Xenophonte commemorantur: plura igitur Socratem dixisse

quivis intellegit. Huiusce modi autem eius verba fuisse, talibus eum usum esse argumentis, consentaneum est.

Ex duabus partibus crimen impietatis constat: primum *ex eo quod non fecit* sc. *νομίζειν οὓς ἡ πόλις νομίζει θεοὺς*, deinde *ex eo quod fecit* sc. *καινὰ δαιμόνια εἰσφέρειν.*

Quae sunt illa nova atque inaudita numina quae in civitatem introducere accusatur? Si Xenophontem inspexerimus, non diu in tenebris versabimur, cf. Apol. 12. *Καινά γε μὴν δαιμόνια πῶς ἂν ἐγὼ εἰσφέροιμι λέγων ὅτι θεοῦ μοι φωνὴ φαίνεται σημαίνουσα ὅτι χρὴ ποιεῖν;* Igitur nova illa daemonia sunt *θεοῦ φωνή*, quae ansam praebuit accusatoribus. cf. Mem. I. 1. 2.

Si quis accusatur nova daemonia introducere, novas res divinas (cf. Apol. Plat. 27 B. C.), quid ei reo faciendum est? Unusquisque iure ab eo postulabit ut demonstret aut se omnino non numina introducere aut, si hoc negari non potest, ut exponat nullam eis novitatem inesse. Talem argumentationem iure mihi iudices ab eo videntur poposcisse. Talibus argumentis opus hic erat. Talem quoque Xenophon nobis exhibet 12—13. Daemonium illud argumentum gravissimum erat inimicorum [1]). Hoc verisimile est eum diluisse. Et in Mem. et in Apol. Xenophon nobis ea tradit, veritati convenienter, ut opinor. Pragmatice, ut aiunt — plerumque non sine quodam contemptu —, rem gerit, et in universum dici potest apud Xenophontem reum crimina et causam suam semper ante oculos habere et tractare sic ut reum decet. Vera Xenophontis Apologia est.

§ 2. DEFENSIO ET CAUSAE TRACTATIO APUD PLATONEM.

Quid autem summus philosophus? Vidimus crimen impietatis ex duabus partibus constare. *Apud Platonem neutra pars tractatur!* Velut si tota causa altercatio tantum esset qua quis captionibus dialecticis adversarium refellere posset — neque acerba

---

[1]) Vid. infra Cap. II. § 3.

dimicatio capitis! —, dexteritate quadam praestigiatorum Plato nobis rem sic tradit et efficit ut Meletus, qui quasi rusticus quidam inducitur, immutet accusationem et contendat reum omnino nullos deos colere. Haec autem nova et mutata accusatio deinde a reo impugnatur vel potius ridetur. Crimina propia non diluuntur, non refutantur. Non demonstrat Socrates Platonicus se colere deos patrios. De *novis* daemoniis verbum nullum. Neque serio rem tractare videtur reus. Per iocum Meletum ad incitas redegit, quod ab ipso Platone affirmatur 27 A: *καίτοι τοῦτό ἐστι παίζοντος*. Haec, quae in Platonis Apologia legitur, gravis argumentatio non est, neque vera Apologia. Videtur Platoni non tanti fuisse, cf. 28 A: *Ἀλλὰ γάρ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ὡς μὲν ἐγὼ οὐκ ἀδικῶ κατὰ τὴν Μελήτου γραφήν, οὐ πολλῆς μοι δοκεῖ εἶναι ἀπολογίας, ἀλλὰ ἱκανὰ καὶ ταῦτα.*

Sic loqui potest historicus vel scriptor posterior qui talibus iocis et fictis et commenticiis disputationibus demonstrare vult quam insulsa et ieiuna tota illa accusatio fuerit. Iudices autem eiusmodi altercatione, quae simillima est disputationi dialecticae, contentos fuisse, non est admodum credibile. Inde quoque factum est ut 32 C. D. demum, in *alia* disputatione, daemonium commemoraretur. Secundum Platonem ergo hanc accusationis partem ne attigit quidem Socrates.

At, dixerit aliquis, quae causa erat quod reus accusatorem de accusatione interrogaret? Num dubiis verbis scriptus erat libellus? Quid sibi vult illud *εἰπὲ ἔτι σαφέστερον*? Fusius haec tractabuntur in capite tertio, quoniam cum aliis multis rebus haec quaestio cohaeret. Hoc autem loco iam statim hoc responsum dabitur: Meleto, accusatori, nulla obscuritas verborum obici potest. Verba quibus accusatio scripta erat, luce clariora fuerunt. Illud *εἰπὲ ἔτι σαφέστερον* e. q. s. a Platone mutandi et fingendi causa additum. Sic autem transitus paratur ad sequentem disputationem dialecticam. Non ab accusatoribus hanc rem attingere Socrates Platonicus coactus est, sed sua sponte onus sibi impositum gravius reddidit, cum sine ulla iusta causa interrogaret accusatorem de accusatione quae haud dubiis verbis scripta erat. Unde factum est ut opera et culpa ipsius rei accusatio et crimina aucta sint — conglutinata

in unum crimen atheismi, ut aiunt —, et difficiliora et graviora reddita [1]).

Dixi Socratem ab accusatoribus non coactum esse crimen atheismi defendere. Etenim in *libello* accusatorum Socrates atheismi accusatus non est. At fortasse in *oratione* quam accusatores habuerunt. Huius autem orationis apud Platonem ne vestigium quidem invenimus. Nullum eius orationis dictum laudatur. Semper crimina ἐν τῇ γραφῇ Socrates Platonicus aggreditur cf. 26 B, 27 A, 27 C, 28 A, 31 D. Qua ex re statuamus necesse est 26 C non respici verba Meleti dicta in oratione sed crimina libelli quae eadem pagina commemorantur et praemittuntur.

Totumne ergo crimen illud atheismi a Platone fictum et excogitatum? Nescimus. Non autem credo. Quod non nescimus hoc est, a Xenophonte quoque, in transitu, Socratem ab accusatione vel invidia atheismi defendi Mem. I. 1. 5. Quae verba fortasse opinionem vulgi impugnant, cf. Plat. Ap. 18 C. *οἱ γὰρ ἀκούσαντες ἡγοῦνται τοὺς ταῦτα ζητοῦντας οὐδὲ θεοὺς νομίζειν.* Fortasse quoque Polycrates hoc crimen protulerat. Praeterea illud *τοὺς θεούς οὐ νομίζειν* facile mutatur in *θεοὺς οὐ νομίζειν.*

§ 3. PRO CERTO SCIMUS CRIMEN IMPIETATIS DIMIDIA PARTE CONSTARE IN DAEMONIO.

Ne forte quis miretur me hic denuo fusius et satis verbose exponere quae cuivis rei perito nota esse debeant, moneo hisce annis virum doctum anglicum surrexisse qui contendit *non esse in daemonio positum crimen impietatis* (A. E. Taylor Varia Socratica pag. 14. „We are bound to infer from the foregoing considerations that the „sign" had never been mentioned by the prosecutors at all, and that it cannot there fore have been any part of the grounds for the γραφή against Socrates").

Satis habeo duo argumenta proferre quibus haec sententia refutatur.

---

[1]) cf. Schanz. in Edit. Apol. Einl. 72.

In Apol. Plat 31 D. legimus Socratem τὰ πολιτικὰ πράττειν prohiberi ὅτι θεῖόν τι καὶ δαιμόνιον γίγνεται, ὃ δὴ καὶ ἐν τῇ γραφῇ ἐπικωμῳδῶν Μέλητος ἐγράψατο. Secundum Taylor non serio Socrates hic loquitur et illud daemonium ἐν τῇ γραφῇ tantum nominatur, non in *oratione* Meleti. Contra quae haec observanda videntur: particulam δή et participium ἐπικωμῴδων potius sic accipienda esse ut significent Meletum daemonium exaggeratum et ornatum depinxisse quasi novum deum, quod crimen nunc a Socrate ironice (particula δή et verbo ἐπικωμῴδων) refellatur. Modeste enim Socrates Platonicus semper de daemonio suo loquitur, e.g. Phaedrus 242 B. C. De *oratione* Meleti non pugnabo neque quicquam habeo quod dicam. Nullum usquam apud Platonem eius vestigium cerni potest! Nusquam impugnatur vel refutatur!

Alter locus ex eodem Platone, quem scriptorem Taylor tanti facit, multo maioris momenti est. Euthyphron 3 B: φησὶ γάρ με ποιητὴν εἶναι θεῶν καὶ ὡς καινοὺς ποιοῦντα θεούς, τοὺς δ' ἀρχαίους οὐ νομίζοντα, ἐγράψατο τούτων αὐτῶν ἕνεκα, ὥς φησιν. Μανθάνω, ὦ Σώκρατες· ὅτι δὴ σὺ τὸ δαιμόνιον φῂς σαυτῷ ἑκάστοτε γίγνεσθαι, ὡσ οὖν καινοτομοῦντός σου περὶ τὰ θεῖα γέγραπται ταύτην τὴν γραφήν κ. τ. λ.

Dolendum est quod hunc locum Taylor non attigit. Nobis locus usui esse potest quippe ex quo appareat omne crimen atheismi ab accusatione procul fuisse. Qui novos deos creat ἄθεος esse non potest.

Postremo vocabula καινὰ δαιμόνια non facile intellegi posse videntur nisi cum daemonio Socratis coniunguntur. Unde factum est ut eo ipso vocabulo satis insolito accusatores uterentur. Quidni eum accusaverunt καινοὺς θεοὺς εἰσφέρειν?

§ 4. VOCEM ESSE DAEMONIUM.

Sequitur ut investigemus, fontibus adhibitis, quid et quale fuerit daemonium. Ex Apologia Xenophontea apparet vocem fuisse daemonium vid. §§ 12, 13. Tota defensio nititur ea comparatione qua illa vox daemonii confertur cum aliis *vocibus* vim divinam habentibus: Καινά γε μὴν δαιμόνια πῶσ ἂν ἐγὼ εἰσφέροιμι λέγων ὅτι

θεοῦ μοι φωνὴ φαίνεται σημαίνουσα ὅτι χρὴ ποιεῖν; καὶ γὰρ οἱ φθόγγοις οἰωνῶν καὶ οἱ φήμαις ἀνθρώπων χρώμενοι φωναῖς δήπου τεκμαίρονται. βροντὰς δὲ ἀμφιλέξει τις ἢ μὴ φωνεῖν ἢ μὴ μέγιστον οἰωνιστήριον εἶναι; ἡ δὲ Πυθοῖ ἐν τῷ τρίποδι ἱέρεια οὐ καὶ αὐτὴ φωνῇ τὰ παρὰ τοῦ θεοῦ διαγγέλλει;

Simillima apud Platonem leguntur Apol. 31 D: *ἐμοὶ δὲ τοῦτ' ἐστὶν ἐκ παιδὸς ἀρξάμενον, φωνή τις γιγνομένη, ἢ ὅταν γένηται κ. τ. λ.*

Phaedrus 242 B. *Ἡνίκ' ἔμελλον τὸν ποταμὸν διαβαίνειν τὸ δαιμόνιον τε καὶ τὸ εἰωθὸς σημεῖόν μοι γίγνεσθαι ἐγένετο καί τινα φωνὴν ἔδοξα αὐτόθεν ἀκοῦσαι, ἥ με οὐκ ἐᾷ ἀπιέναι πρὶν ἂν ἀφοσιώσωμαι, ὥς τι ἡμαρτηκότα εἰς τὸ θεῖον.* Theages 128 D *δαιμόνιον· ἔστι δὲ τοῦτο φωνή, ἢ ὅταν γένηται κ. τ. λ.* deinde passim.

Symposion 203 A. ubi *τὸ δαιμόνιον* explicatur quid in universum sit, legimus: *ἀλλὰ διὰ τούτου πᾶσά ἐστιν ἡ ὁμιλία καὶ ἡ διάλεκτος θεοῖς πρὸς ἀνθρώποις καὶ ἐγρηγορόσι καὶ καθεύδουσι.* Qui locus maximi momenti nobis denuo adhibendus erit.

Verba quidem huius vocis laudare non possumus. Eiusmodi exemplum nusquam extat. Immo vero ignoramus utrum omnino verba locutum sit daemonium necne. In Phaedone 60 E somnium nobis narratur quo Socrati *καθεύδοντι* (cf. Symp. 203 A) iussum aliquod datur sc. *μουσικὴν ποίει καὶ ἐργάζου.* Num similiter daemonium locutum sit in sequentibus paragraphis videbimus [1]).

§ 5. MANTIKÓN TI ESSE DAEMONIUM.

Xenophon demonstrat daemonium nulla re a communi *μαντικῇ* differre. Hoc premit, in hac comparatione eius defensio et refutatio tota posita est. Apud Platonem autem, quamquam summo iure a reo iudices postulare potuerunt ut explicaret quidnam illud daemonium esset, numquid quod longe abhorreret ab aliorum de rebus divinis opinione necne, illud *ἕτερα δαιμόνια* neglexit, vel potius tractare noluit, et post fictam altercationem Socrates *ἄθεος* esse insimulatur. In transitu solum — nil amplius — dae-

[1]) Vid. § 6.

monium τῇ μαντικῇ adaequatur: Apol. 40 A. ἡ εἰωθυῖα μαντική; Phaedr. 242 C εἰμὶ δὴ οὖν μάντις et paulo post μαντικόν γέ τι καὶ ἡ ψυχή.

Hac quoque in quaestione Xenophon nobis defendendus et tuendus est. Nuper enim vir doctus H. Maier in libro, cui titulus „*Socrates*", pag. 456, primum negavit apud Platonem daemonium cum μαντικῇ τέχνῃ comparari, deinde Xenophontem accusavit quod hanc comparationem et adaequationem de suo excogitavisset. Ipsius verba haec sunt [1]: „Und der Unterschied (scil. inter Platonem et Xenophontem) ist nicht blosz, dasz Plato dem Daimonion nur ein Abmahnen, nicht auch, wie Xenophon, ein Zureden zuerkennt. Bei Plato fehlt ihm vor allem der ganze mantische *Nimbus*, den es bei Xenophon *erhalten* hat. Gewisz spricht auch jener von einer „Mantik" des Daimonions (ἡ εἰωθυῖά μοι μαντικὴ ἡ τοῦ δαιμονίου Apol. 40 A) aber das ist *doch nur ein Vergleich*, der der Beschreibung dient. Und das *gewisse Ähnlichkeiten* zwischen der Mantik und der Wirksamkeit des Daimonions bestehen, war ja augenscheinlich. *Wie es scheint* ist *indessen der Vergleich selbst halb* scherzhaft gemeint; im Euthyphron ist er dem „Seher" Euthyphron in den Mund gelegt, der als solcher *eine unverkennbare komische Figur* macht". Deinde in adnotatione: „Dagegen gehört die Stelle Phaedr. 242 C nicht wie Zeller II 1[4] S. 83. 4. annimmt hierher. Das scherzhafte εἰμὶ δὴ οὖν μάντις μέν — bezieht sich nicht auf die Leistung des daimonions, nimmt *vielmehr* auf das unmittelbar Vorhergehende Bezug und erhällt seine Erläuterung im Folgenden: μαντικόν γέ τι καὶ ἡ ψυχή. Die mantik der Seele besteht aber darin dasz diese Sünden entdeckt." Pergit deinde: „*Jedenfalls* (i. e. quoniam hoc ego ita volo) findet sich bei Plato von einer Einreihung des Daimonions in die Kategorie der Orakel und sonstige Wahrsagungsmöglichkeiten, auf die Xenophon so viel Gewicht legt, *keine Spur*. Bei jenem hat das Daimonion noch nicht den magischen Charakter den Xenophon ihm *gegeben* hat."

---

[1]) Literis cursivis, ut aiunt, significavi aliquot verba quae huius et huiusmodi disputationis propia sunt quaeque ostendunt animi viribus abripi virum doctum. Sola ratione duce haec itinera nobis facienda sunt, quae tanquam sol hibernus lucem quidem affert non autem aestum.

Facile nobis videmur demonstrare quae volumus. Quidni putamus omnia Platonis scripta per iocum neque serio esse scripta? Semper enim ironice videtur loqui. Hoc enim viri urbani, qualis Plato erat, propium est.

Praestat autem in hac difficillima controversia non nimis fortiter sententiam dicere, neque pro certo affirmare et asseverare. Caute et pedetemptim progrediendum est fontibus ducentibus, circumspecte agendum. Etenim admodum incerta et lubrica haec sunt, ut fit in rebus ad religionem pertinentibus. Ex ipsis fontibus nonnumquam difficile intellegitur quid intellegendum sit. Omnia enim quae sunt interioris notitiae desunt. Neque scriptoribus qui Socraticis annumerandi sunt — alios non magnopere curabimus — omnia quae ad daemonium pertinent penitus cognita habuisse, neque igitur in scriptis suis potuisse exponere et commemorare, ex posterioribus scriptoribus perspicimus. Nam in opusculo Plutarchi cui titulus „de genio Socratis", Simmias narratur interrogasse Socratem de daemonio, nullum autem ei datum esse responsum. De gen. Socr. 20: *αὐτὸς δὲ Σωκράτην μὲν ἔφη περὶ τούτων ἐρόμενός ποτε, μὴ τυχεῖν ἀποκρίσεως, διὸ μηδ' αὖθις ἐρέσθαι.* E quibus verbis efficiendum esse videtur Plutarchum in scriptis Socraticorum nihil invenisse quod claram lucem afferre posset huic obscurae quaestioni.

Accuratius autem locos qui huc faciunt contemplemur. Fortasse alicubi vestigium aliquod latet. Primum in loco e Phaedr. dial. interpretando aliquantisper detinebimur sc. 242 C. Socrates abire volebat et in eo erat ut flumen transiret, cum subito fit daemonium signum, quod eum monere solebat. Audire sibi visus est vocem aliquam quae non sinebat eum abire priusquam expiavisset quod erga deum peccavisset. Phaedrus iuvenis haec verba mirabundus audivit; ut hanc admirationem auferat, opinor, Socrates haec addit: *εἰμὶ δὴ οὖν μάντις μέν, οὐ πάνυ δὲ σπουδαῖος, ἀλλ' ὥσπερ οἱ τὰ γράμματα φαῦλοι, ὅσον μὲν ἐμαυτῷ μόνον ἱκανός· σαφῶς οὖν ἤδη μανθάνω τὸ ἁμάρτημα· ὡς δή τοι, ὦ ἑταῖρε, μαντικόν γέ τι καὶ ἡ ψυχή· ἐμὲ γὰρ ἔθραξε μέν τι καὶ πάλαι λέγοντα τὸν λόγον, καί πως ἐδυσωπούμην κατ' Ἴβυκον, μή τι παρὰ θεοῖς ἀμβλακὼν τιμὰν πρὸς ἀνθρώπων ἀμείψω· νῦν δ' ᾔσθημαι τὸ ἁμάρτημα.*

Pauca, sed ea graviora, non liquent in hoc loco. Primum hoc. Vox quaedam sonabat. Unde venit illa vox? Fortasse huic quaestiunculae respondetur adverbio *αὐτόθεν*. Quid significat? Estne adverbium loci an temporis? Estne sensus „ex eo ipso loco" an „ilico", „statim"? In dubio sum. Maximi autem momenti est in hoc loco interpretando verum explorare. Etenim si adverbium loci est *αὐτόθεν*, hoc loco demonstratur vocem illam divinam non — utique non semper — e pectore sonare, neque e Socratis corpore sed aliunde, *foris*, eam audiri. Praeter hunc locum, quantum scio, scriptores nos deficiunt. Neque in Xenophontis neque in Platonis scriptis extat alius locus e quo elucet unde illa vox sonuerit. Quodsi quis talia (nam posterioris scriptoris) non contemnit, apud Plutarchum l. l. indicia fortasse inveniuntur foris illam vocem sonuisse. Ibi enim, 20, in disputatione de daemonio legitur *οὕτως οὐκ ἄν, οἶμαι δυσπείστως ἔχοιμεν ὑπὸ νοῦ κρείττονος νοῦν καὶ ψυχῆς θειοτέρας ψυχὴν ἂν ἄγεσθαι θ ύ ρ α θ ε ν ἐφαπτομένης κ. τ. λ.* In eodem libro, alio loco, 22, ubi affirmant animas, quae se in corpora demergere putandae sunt, nonnumquam apud nonnullos homines, quorum mentes purae sunt seiunctaeque quam maxime a corporibus, corpore deserto emergere, haec leguntur: *τὸ μὲν οὖν ὑποβρύχιον ἐν τῷ σώματι φερόμενον ψυχὴ λέγεται· τὸ δὲ φθορᾶς λειφθὲν, οἱ πολλοὶ νοῦν καλοῦντες ἐντὸς εἶναι νομίζουσιν αὐτῶν, ὥσπερ ἐν τοῖς ἐσόπτροις τὰ φαινόμενα κατ᾽ ἀνταύγειαν· οἱ δὲ ὀρθῶς ὑπονοοῦντες, ὡ σ ἐ κ τ ὸ ς ὄ ν τ α, Δ α ί μ ο ν α π ρ ο σ α γ ο ρ ε ύ ο υ σ ι ν.*

Quodsi, e contrario, *αὐτόθεν* id valet quod statim, ilico, nullus, quod sciam, locus indicat unde illa vox divina audiatur et in meris tenebris denuo versamur [1]).

Nisi forte sententia illa *μαντικόν γέ τι καὶ ἡ ψυχή* huc facit!

Quaeritur igitur quomodo inter se cohaereant *τὸ δαιμόνιον* et *τὸ μαντικὸν τῆς ψυχῆς*. Qua in controversia hoc utique ante oculos tenendum esse videtur sc. arte coniungenda esse verba *εἰμὶ δὴ οὖν μαντισ κ. τ. λ.* cum verbis praecedentibus. Sunt enim explicatio

---

[1]) Dixerit aliquis, si adverbium temporis esset, Platonem aliter verba enuntiaturum fuisse, nempe *αὐτόθεν ἔδοξα κ. τ. λ.* Hoc autem levioris momenti neque certum.

et interpretatio, quibus Phaedrus doceatur de daemonii intercessione, et admonitio illa daemonii hisce verbis respicitur. Igitur divinandi illa facultas — μάντις — non seiungenda est a daemonio. *Hac ergo ex parte non assentimur Maierio.* Si ars divinandi a Socrate exercetur, hoc non sine daemonio fit.

Idemne igitur τὸ μαντικὸν τῆς ψυχῆς et daemonium? Si ita res se habeat, non abs re sit conferre locum ex Apol. Plat. 40 B, ubi daemonium identidem in sermone repugnare narratur: καίτοι ἐν ἄλλοις λόγοις πολλαχοῦ δή με ἐπέσχε λέγοντα μεταξύ, quibuscum conferatur in Phaedr. 242 C ἐμὲ γὰρ ἔθραξε μέν τι καὶ πάλαι λέγοντα τὸν λόγον. Quibus in verbis etiam addubitari potest quae sit significatio pronominis — an adverbii? — τι. Estne anima quae *aliqua ex parte* eum conturbavit? An *aliquid* quod eum commovit?

Utique hoc ipsum mihi mirum videtur. Etenim si Socrates in oratione dithyrambica peccabat erga deum, quid erat quod daemonium eum non retineret? Καίτοι ἐν ἄλλοις λόγοις πολλαχοῦ δὴ αὐτὸν ἐπέσχε λέγοντα μεταξύ. Fac autem daemonium ei repugnavisse. Inde sequeretur ut Socrates orationem illam non ad finem perduxisset. Neque a Platone scribi potuisset! Fortasse igitur Plato — auctor intellectualis — peccavit cum Socratem peccantem induceret? Platoni igitur debetur haec discrepantia? Sensitne hoc ipse et aliquatenus errorem corrigere studebat cum adderet verba ἐμὲ γὰρ ἔθραξε μέν τι κ. τ. λ.?

Deinde hoc quoque observandum vocem *foris* auditam non bene concinere cum ipsa anima *intus* divinatrice. Quamquam philosophice haec ita explicari possunt ut duae hae res diversae idem sint, neque male verba cohaereant. Vid. infra § 7.

Veniamus autem ad alteram interpretationem sc. τὸ δαιμόνιον et τὸ μαντικὸν τῆς ψυχῆς res esse diversas. Quid igitur? Quasnam partes anima egisse putanda est? Restat ut sumamus, credo, *prius* daemonium signum ei dedisse, *deinde* autem animam suspicatam esse et divinasse quidnam illud peccatum esset. Sic ut μάντις rerum divinarum peritus interpretari solet omina, ita anima divinandi facultate praedita explorat peccata. Hac ex parta igitur cum Maierio facere possimus: „Die Mantik der Seele besteht aber darin dasz diese Sünden entdeckt". Etenim in universum

omina, mandata, iussa, quae a deo hominibus dantur, vulgo breviter indicantur neque nimis perspicua esse solent. Interpretatione opus est. Eam ominum — hoc loco omen est daemonium signum — interpretationem et explicationem anima invenire studebat.

Quamquam hic locus singulare quid habet, ut postea videbimus [1]. Utut autem res se habet, nostra sententia Socrates est vates *per daemonium*, et Socratis divinandi facultas nititur *daemonio*. Hoc demonstrare pergamus. Praeter locum in Euthyphr. 3 BC., quo alluditur ad Socratis divinandi artem, alium magni momenti componendum esse puto, dico Phaedo, 84 E. ubi cum cycnis se comparat Socrates: *ὡς ἔοικε, τῶν κύκνων δοκῶ φαυλότερος ὑμῖν εἶναι τὴν μαντικήν, οἳ ἐπειδὰν αἴσθωνται ὅτι δεῖ αὐτοὺς ἀποθανεῖν κ. τ. λ.* Non potest non respici hisce verbis daemonium. Cycni laetantur cum primum intellegunt mortem instare. Haec eorum *μαντική* est. Daemonio tacente (Apol. Plat. 40 AC) vel vetante (Apol. Xen. 4. Cf. Mem. IV. 8. 5) Socrates quoque intellexit mortem appropinquare. Non ea re terretur neque terrebitur, immo laetatur: *οὐ γὰρ ἔσθ' ὅπως οὐκ ἠναντιώθη ἄν μοι τὸ εἰωθὸς σημεῖον, εἰ μή τι ἔμελλον ἐγὼ ἀγαθὸν πράξειν.* Igitur in hac cum cycnis comparatione *τῇ μαντικῇ* daemonium significari procul dubio est. Praeterea cycni sacri sunt Apollinis. Quae ratio Socrati cum Apolline intercedat notissimum est. Festo ad honorem huius dei celebrato dies necis procrastinatur Phaedo 58 C. Apollinis in honorem hymnum composuit Phaedo 60 D, 61 A. Sacerdos huius dei eum omnium sapientissimum iudicavit. Apollinis tutela Socratem tutum esse, Socratem quoque sacrum esse Apollinis, hinc intellegetur: Apol. Xen. 5 *Ἦ θαυμαστὸν νομίζεις εἰ καὶ τῷ θεῷ δοκεῖ ἐμὲ βέλτιον εἶναι ἤδη τελευτᾶν;* Apol. Xen. 7. *ἴσως δὲ τοι, φάναι αὐτόν, καὶ ὁ θεὸς δι' εὐμένειαν προξενεῖ μοι οὐ μόνον τὸ ἐν καιρῷ τῆς ἡλικίας καταλῦσαι τὸν βίον, ἀλλὰ καὶ τὸ ᾗ ῥᾷστα,* quibuscum conferatur Apol. Plat. 41 C. D. *οὐδὲ ἀμελεῖται ὑπὸ θεῶν τὰ τούτου πράγματα· οὐδὲ τὰ ἐμὰ νῦν ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου γέγονεν, ἀλλά μοι δῆλόν ἐστι τοῦτο, ὅτι ἤδη τεθνάναι καὶ ἀπηλλάχθαι πραγμάτων βέλτιον ἦν μοι. διὰ τούτου καὶ ἐμὲ οὐδαμοῦ ἀπέτρεψεν τὸ σημεῖον.* Praeterea

---

[1]) Vid. § 6.

magni momenti locus in Apol. Xen. 14 *Ἄγε δὴ ἀκούσατε καὶ ἄλλα ἵνα ἔτι μᾶλλον οἱ βουλόμενοι ὑμῶν ἀπιστῶσι τῷ ἐμὲ τετιμῆσθαι ὑπὸ δαιμόνων.* De daemonio sermo erat quod a deo venit (cf. 12. 13.). *Daemon ille Apollo est*; *ἀνεῖλεν ὁ Ἀπόλλων.* In universum autem Apollinem esse imprimis deum cuius tutela et beneficio vates — inter quos, etsi non publicus vates erat, Socrates quoque nominandus est — futura divinare possunt, docet Phaedrus 265 B., *μαντικὴν μεν ἐπίπνοιαν Ἀπόλλωνος θέντες.*

His locis praemissis *τὴν μαντικήν* idem esse atque daemonium Phaedo 85 B sumamus necesse est: *ἀλλ' ἅτε, οἶμαι, τοῦ Ἀπόλλωνος ὄντες μαντικοί τε εἰσι καὶ προειδότες τὰ ἐν Ἅιδου ἀγαθὰ ᾄδουσι* (e daemonio tacente Socrates intellexerat mortem bonum esse aliquid) —— *ἐγὼ δὲ καὶ αὐτὸς ἡγοῦμαι ὁμόδουλός τε εἶναι τῶν κύκνων καὶ ἱερὸς τοῦ αὐτοῦ θεοῦ, καὶ οὐ χεῖρω ἐκείνων τὴν μαντικὴν ἔχειν παρὰ τοῦ δεσπότου*[1] *οὐδὲ δυσθυμότερον αὐτῶν τοῦ βίου ἀπαλλάττεσθαι.* Utique, ut Maieri verbis utar,' per daemonium artem vaticinationis a Socrate exerceri constat. Vaticinia quae deo i. e. daemonio fretus edidit, legimus Plat. Alcib. 124 C. *ᾧ* (sc. deo vel daemonio non iam prohibente) *καὶ πιστεύων λέγω, ὅτι ἡ ἐπιφάνεια δι' οὐδενὸς ἄλλου σοι ἔσται ἢ δι' ἐμοῦ.* Alios locos (Alcib. 127 E Theaet. 142 C. D, Phaedr. 278 E. 279 A.) postea tractabimus.

§ 6. QUAERITUR DEHORTETURNE TANTUM DAEMONIUM AN ETIAM ADHORTETUR.

In Apol. Xen. 12 universe dicitur daemonium denuntiare quid faciendum sit, *σημαίνουσα ὅτι χρὴ ποιεῖν.* Utique magis suadens hoc sonat quam dissuadens, quamquam in utramque partem, vetandi et iubendi sensu, haec verba accipienda esse videntur. In Mem. I. 1. 4. (cf. I. 4. 15; IV. 3. 13; IV. 8. 1.) disertis verbis legimus daemonium *προσημαίνειν τὰ μὲν ποιεῖν, τὰ δὲ μὴ ποιεῖν.*

Contra Socrates Platonicus asseverat semper dehortari numquam

---

[1]) Illud *παρὰ τῶν θεῶν* huc facit quod legitur Phaedr. 279 B. Mem. Xen. II. 6. 8

adhortari daemonium Apol. 31 D. *ἀεὶ ἀποτρέπει, προτρέπει δὲ οὔποτε.* Sunt qui contendant hos locos, qui longe inter se discrepant, facile inter se conciliari posse. Nempe *tacens daemonium* idem valere quod daemonium *προσημαίνον τὰ μὲν ποιεῖν.* In Apol. Plat. enim e daemonio tacente Socrates intellegere faciendum esse sibi id quod facit vel facturus est. (Breitenbach in Edit. Mem Excurs 1).

Credo autem eos qui talem concordiam inter sententias diversas constituere cupiant nimio conciliandi studio abripi neque verum videre. Tacere non enim idem est quod *προσημαίνειν.* Qui tacet nihil denuntiat. Summo iure contendat quis non licere eo modo verba apud Xenophontem interpretari. Accedit ut verba, quae praecedunt de vulgaribus ominibus *προτρέπεσθαι καὶ ἀποτρέπεσθαι* — quibus ominibus daemonium adaequatur — nos, opinor, ab eiusmodi explicatione prohibeant.

Reliquum igitur est ut statuamus differre inter se daemonium Socratis Xenophontei et Socratis Platonici. Immo vero suspicor etiam Xenophontem a Platone impugnari. Etenim in Apol. 31 D daemonium *ἀεὶ ἀποτρέπει, προτρέπει δὲ οὔποτε.* Isdem vocabulis utitur Plato quibus Xenophon de ominibus vulgaribus cum daemonio comparatis: *προτρέπεσθαι, ἀποτρέπεσθαι.* Insolite autem Plato addidit *προτρέπει δὲ οὔποτε.* Hoc nihil ad causam pertinet, nihil ad rem. Insolite! Emphasin enim illud *οὔποτε* habet, chiastice sententia enuntiata est. Iudices autem non admodum curare num èt adhortetur èt dehortetur illud daemonium quivis videt. Satis igitur erat demonstrare daemonium esse causam quod S. ad rem publicam accedere non posset. Alia quae interioris notitiae sunt non rogantur, non rogabuntur a iudicibus. Quid igitur erat quod illud *ἀεὶ ἀποτρέπει, προτρέπει δὲ οὔποτε* *non sine ostentatione* a Platone *isdem verbis quibus Xenophon* usus est, adderetur? Hoc statim intellegetur si sumemus hisce verbis Xenophontem lacessi, Xenophontem refutari. Plato eum corrigit, vel corrigere se putat. Si ita locum interpretati erimus recte omnia intellegemus.

Melius quidem quam si Schanzium (Ed. Apol. Praef. 80) secuti erimus, qui contendit Apologia Xenophontea respici et refutari quodammodo et corrigi Platonicam. Quid enim impedivit Xenophontem quominus *disertis verbis* in Apologia sua talia impu-

gnaret. Toto loco qui de daemonio agit in Apol. Xen. oppugnationem Platonis videre non possum. Apud Platonem video.

Hac autem de quaestione plura postea in Cap. III, IV.

Nunc autem alia nos manent. Vereor enim, licet Plato haud dubiis verbis asseveraverit non adhortari daemonium, ne hac in re sibi constanter non dicat. In Phaedone 60 E somnium nobis narratur. Iterum atque iterum sapienti nostro visum aliquod apparebat quod eum adhortabatur, immo persequebatur adhortationibus. Vocis illius — quam divinam fuisse patet e verbo ἀφοσιούμενος — verba fuerunt: μουσικὴν ποίει καὶ ἐργάζου. Rem sacram peragere iussus est. Tutius et melius erat non abire i. e. discedere e vita, priusquam officio se liberavisset.

Nunc autem Phaedrum inspiciamus; 242 C daemonium Socratem flumen transire prohibet: ἥ με οὐκ ἐᾷ ἀπιέναι πρὶν ἂν ἀφοσιώσωμαι. In Phaedone visum incitat ut versus faciat et Socrates arbitrabatur ἀσφαλέστερον εἶναι μὴ ἀπιέναι πρὶν ἀφοσιώσασθαι. Videmus isdem verbis uti scriptorem.

In Phaedone spectrum eum persequebatur adhortationibus et verba loquebatur e quibus aliquatenus intellegi poterat quid faciendum esset.

Et in Phaedro? Daemonii quoque vox nonnulla verba edidit? Loquebaturne illa vox? Ignoramus. Non autem opinor. Nusquam neque a Xenophonte neque a Platone ullum dictum commemoratur. Denuntiat, sic ut omina vulgaria, et verba quibus eius agendi vis significatur sunt σημαίνειν, προσημαίνειν, ἐναντιοῦσθαι Est σημεῖον.

Unde igitur scire potuit Socrates expiandum esse sibi peccatum. Aliis enim apud Platonem locis, ubi daemonium intercedit, eiusmodi nihil legitur. Secundum Platonem daemonium vulgo prohibet Socratem facere quod facturus est. Nil amplius. Sed nunc scit rem sacram sibi peragendam esse. Hoc igitur daemonium voluit? Et daemonium eum iussit ἀφοσιώσασθαι? Etenim e verbis ἥ με οὐκ ἐᾷ κ. τ. λ, si quid video, hoc utique intellegendum est voluntatem fuisse daemonii ut non abiret priusquam expiavisset. Quomodo daemonium hoc ei denuntiavit? Ignoramus. Desunt omnia, ut vidimus, quae sunt interioris notitiae.

Nisi forte — et huc magis inclinat sententia mea — locus

noster ita interpretandus est ut sumamus Socratem ipsum *intellexisse* se peccavisse vel ex eo quod iam in sermone turbaretur, vel aliunde, igitur verba laudata ἤ με οὐκ κ. τ. λ. ipsius Socratis sententiam referre, ipsum Socratem voluntatem daemonii perspexisse, et eius divinandi artem — μάντις — in ea re constare quod voluntatem daemonii divinare posset.

Utut res se habet, deprehendimus vestigium quod nobis indicat et apud Platonem daemonium non solum vetantis sed etiam adhortantis partes agere. Hoc loco translucet neque apud Platonem vim adhortandi denegari posse daemonio.

§ 7. QUO FACTUM SIT UT SOCRATES ILLAM VOCEM DAEMONIUM NOMINARET.

Si quis interdum vocem audit, eamque vocem a deo venire, divinam esse intellegit, vel sibi intellegendum esse putat, et praeterea arbitratur eam signum esse divinum quod se aliquatenus certiorem facit de rebus futuris (σημαίνειν), quo nomine haec vox ei nominanda est? Dixerit aliquis apte appellari posse τὸ θεῖον σημεῖον. Et re vera ita nominatur apud Plat. Apol. 40 B. Alibi Resp. 496 C. τὸ δαιμόνιον σημεῖον.

Demonstrabimus (vid. infra § 8) Socratis opinione deos hominibus ubicumque et semper adesse et denuntiare quid faciendum sit. Socrates quoque πάσῃ μαντικῇ, spectris, somniis, sed imprimis daemonio praemonebatur a deis. In vita quotidiana homines antiquiores habebant, vel habere se arbitrabantur, τὸν δαίμονα. De daemone loquebantur Graeci similiter atque Romani de genio. cf. Theognis 161: πολλοί τοι χρῶνται δειλιαῖς φρεσί, δαίμονι δ' ἐσθλῷ. et Pindarus Ol. XIII. 28: Ξενοφῶντος εὔθυνε δαίμονος οὖρον, ad quem locum Scholiasta adnotat: τὸ συγκληρωθὲν δαιμόνιον. (cf. praeterea Plutarch. de Genio Socr.). Hinc satis, ut opinor, perspicuum fit qua re Socrates vocem illam daemonium nominaverit, imprimis si *foris* audiebatur. Etenim daemones aliquatenus sunt comites hominibus in vitae via; ita quoque illa vox Socratem

comitabatur et tuebatur. Socrati igitur nomen quaerenti quod illi voci apte dari posset vocabuli quod est daemonium in mentem venisse credibile est.

Cui interpretationi et alii loci auxilio veniunt. In Symp. 202 E Plato in universum loquitur de daemonio. Locus dignus qui totus describatur: *καὶ γὰρ πᾶν τὸ δαιμόνιον μεταξύ ἐστι θεοῦ τε καὶ θνητοῦ. Τίνα, ἦν δ' ἐγώ, δύναμιν ἔχον; Ἑρμηνεῦον καὶ διαπορθμεῦον θεοῖς τὰ παρ' ἀνθρώπων καὶ ἀνθρώποις τὰ παρὰ θεῶν, τῶν μὲν μὲν τὰς δεήσεις καὶ θυσίας, τῶν δὲ τὰς ἐπιτάξεις τε καὶ ἀμοιβὰς τῶν θυσιῶν ἐν μέσῳ δὲ ὂν ἀμφοτέρων συμπληροῖ, ὥστε τὸ πᾶν αὐτὸ αὑτῷ ξυνδέδεσθαι. διὰ τούτου καὶ ἡ μαντικὴ πᾶσα χωρεῖ καὶ ἡ τῶν ἱερέων τέχνη τῶν τε περὶ τὰς θυσίας καὶ τὰς τελετὰς καὶ τὰς ἐπῳδὰς καὶ τὴν μαντείαν πᾶσαν καὶ γοητείαν. θεὸς δὲ ἀνθρώπῳ οὐ μίγνυται, ἀλλὰ διὰ τούτου πᾶσά ἐστιν ἡ ὁμιλία καὶ ἡ διάλεκτος θεοῖς πρὸς ἀνθρώπουσ, καὶ ἐγρηγορόσι καὶ καθεύδουσι.*

Omne igitur quod daemonium audit quasi vinculum quoddam *medium* inter deos et homines constitutum est. His vinculis daemonium Socratis quoque annumerandum est. Hac voce se cum deo coniunctum esse putabat. *Θεοῦ φωνή* enim erat, ut est apud Xen. Apol. 12.

Philosophos, inter quos et Plato erat, *daemonem* [1]), de quo supra locuti sumus, *philosophice* interpretari conatos esse, nemini mirandum esse videbitur. Iam attulimus locum apud Plut. de Gen. Socr. 22, ubi legitur philosophica disputatio de optima et purissima animae parte, quae nonnumquam se met ipsa corpore liberat. Nonnulli eam partem appellant *Νοῦν*, alii, qui melius et rectius intellegunt, neque intus sed foris eam esse arbitrantur, *Δαίμονα προσαγορεύουσιν.* Quibuscum conferantur quae leguntur apud Plat. Tim. 90 A: *τὸ δὲ περὶ τοῦ κυριωτάτου παρ' ἡμῖν ψυχῆς εἴδους διανοεῖσθαι δεῖ τῇδε, ὡς ἄρα αὐτὸ δαίμονα θεὸς ἑκάστῳ δέδωκε.* Quae pars animae maximi momenti quaeque divina est daemoni a deo dato adaequatur. Quam qui recte et impigre excolit vere divinus atque beatus fit, cf. Tim. 90 B. C. Etenim anima

[1]) Et inde quoque Socratis daemonium cf. Plut. de genio Soc. l.l.

sola verum assequi potest. Phaedo 65 B ἡ ψυχὴ τῆς ἀληθείας ἅπτεται. In Alcib. 133 B. C. ea pars quae ad divinam veritatem eniti legitur τὸ τῆς ψυχῆς νοερώτερον audit, deinde: τῷ θείῳ ἄρα τοῦτ' ἔοικεν αὐτῆς, καί τις εἰς τοῦτο βλέπων καὶ πᾶν τὸ θεῖον γνούς, θεόν τε καὶ φρόνησιν, οὕτω καὶ ἑαυτὸν ἂν γνοίη μάλιστα. Philosophia sacrum opus factum est et philosophus proximus a deo est [1]).

Quibus antiquiorum de daemone interpretationibus, viri docti horum saeculorum alias de daemonio opposuerunt.

Varie de daemonio, quomodo accipiendum esset, iudicaverunt. Ut pauca exempla afferam, alius *conscientiam praemonentem* putat (Breitenbach Ed. Mem. Excurs. 1), alius satis verbose „praktisch-sittlicher Takt, Gewissen, intellectuell und sittlich richtiger Gefühls- und Willensinstinct, geniale Intuition, idealer religiöser Antrieb" (K. Joel der echte und der Xen. Sokr. I. 75).

Apud H. Maier l. l. 461 lego: „Es ist eine Art geistigen Selbsterhaltungs-instinkt".

Vir clarissimus eruditissimusque G. J. P. J. Bolland in Edit. *Hegelii* (Vorlesungen üb. d. Gesch. d. Phil. 322) postquam ab Hegelio daemonium coniunctum est cum somnambulismo, quem vocant, id nominat „ein unterbewusstes Selbst."

Etsi huic, quam ultimam rettuli, opinioni aliquatenus assentiri, alias autem prorsus reicere velim, non meum duco ex horum hominum scientia, ex huius saeculi doctrina veram daemonii vim et naturam adumbrare et divinare quid re vera fuerit. Hoc magis decet psychiatros, ut aiunt, et eiusmodi viros doctos qui animae naturam et indolem indagant et perscrutantur.

Quibus nunc praesto sunt loci qui, maximi momenti, apud antiquos scriptores extant, quos congessimus, de quibus pro nostra virili disputavimus, e quibus quid et quale fuerit daemonium (quatenus hoc ex fontibus demonstrari potest) elicere conati sumus.

---

[1]) Huc faciunt etiam placita Thaletis, cui daemon pars animae erat (secundum Athenagoram Legat. pro Christ. XXIII δαίμονας δὲ οὐσίας νοεῖ ψυχικάς) et Democriti (Diels fr. 171) ψυχὴ οἰκητήριον δαίμονος.

§ 8. QUAE RATIO INTERCEDAT INTER SOCRATIS AMICOS ET SOCRATIS DAEMONIUM.

In Apologia Xen. 13 legimus: ὥς γε μὴν οὐ ψεύδομαι κατὰ τοῦ θεοῦ, καὶ τοῦτ᾽ ἔχω τεκμήριον· καὶ γὰρ τῶν φίλων πολλοῖς δὴ ἐξαγγείλας τὰ τοῦ θεοῦ συμβουλεύματα οὐδεπώποτε ψευσάμενος ἐφάνην.

Quamquam pro certo hoc effici non potest nihil obstat quominus locum ita interpretemur ut sumamus daemonium Socrati suasisse ut amicos a futuris erroribus tueretur et amicorum vitae consuleret; τὰ τοῦ θεοῦ συμβουλεύματα agere de amicorum rebus futuris neque Socratem suas privatas res cum amicis communicasse. Ita interpretatus locus optime cohaeret cum loco in Mem. I. 1. 5. (Nonnulla verba literis diductis significata praesertim indicio sunt alterum locum alteri cognatum esse) καὶ πολλοῖς τῶν συνόντων προηγόρευε τὰ μὲν ποιεῖν, τὰ δὲ μὴ ποιεῖν; neque stultus neque vanus videri volebat, ἐδόκει δ᾽ ἂν ἀμφότερα ταῦτα, εἰ προαγορεύων ὡς ὑπὸ θεοῦ φαινόμενα ψευδόμενος ἐφαίνετο. Per daemonium deus Socratis Xenophontei amicis prodest. Vocabula συμβουλεύματα, συμβουλεύειν praeterea esse usitatissima, sic ut verbum σημαίνειν, et de deis Socratem praemonentibus et de Socrate amicis suadente vel dissuadente, testantur e. g. loci sequentes: Mem. I. 3. 4; I. 4. 18; I. 1. 6; I. 1. 19; I. 4. 15; IV. 7. 10; Apol. Plat. 33 D. Partim haec per daemonium et daemonio auctore fieri libenter credam, cf. Mem. II. 6. 8; I. 1. 4; IV. 8. 1; IV. 3. 12; Theages 128 D.

Contra quae autem aperte pugnare videntur ea quae apud Platonem legimus in Phaedro 242 C, εἰμὶ δὴ οὖν μάντις μέν, οὐ πάνυ δὲ σπουδαῖος ἀλλ᾽ ὥσπερ οἱ τὰ γράμματα φαῦλοι, ὅσον μὲν ἐμαυτῷ μόνον ἱκανός. Urbane admodum confitetur se vatem publicum non esse. Alios homines adiuvare se non posse, sibi soli satis esse. Dicet aliquis amicorum omnia communia esse, amicitiam, id quod ex Mem. notissimum est et a Platone e. g. Lysis 211 E affirmatur, inter homines summum bonum esse, facile igitur subiungi

ἐμαυτῷ — καὶ τοῖς φίλοις — non autem aliis hominibus. Quae interpretatio, etsi nobis ieiuna non videtur, tamen probari non potest. Si e contrario Plato in aliis scriptis eandem rerum expositionem non observare videbitur, arbitrabimur eum denuo nobis argumentum offerre inconstantiae suae. Cum autem plura ad hanc rem pertineant, quam accuratissime potero, totam quaestionem de daemonio repugnante, incitante, in universum Socratem et eius amicos adiuvante, explorare et expedire temptabo.

Primum hoc statuendum: in adulescentulis admittendis amicorum, vel sociorum, vel — sit venia verbo! — discipulorum in numerum, per daemonium, i. e. per deum, stetisse utrum cum iis amicitiam coniungeret necne. Et Xenophon et Plato huius rei nobis auctores sunt idonei et consentientes. Daemonio enim repugnante nonnumquam iuvenes arceri significat et indicat locus in Mem. II. 6. 8 [1]: *Πρῶτον μὲν, ἔφη, τὰ παρὰ τῶν θεῶν ἐπισκεπτέον, εἰ συμβουλεύουσιν αὐτὸν φίλον ποιεῖσθαι. Τί οὖν, ἔφη, ὃν ἂν ἡμῖν τε δοκῇ καὶ οἱ θεοὶ μὴ ἐναντιῶνται, ἔχεις εἰπεῖν ὅπως οὗτος θηρατέος;* Verba *ἐναντιοῦσθαι* et *συμβουλεύειν* quae propria sunt dei vel daemonii vi sua intercedentis omnem dubitationem auferunt utrum daemonium significetur annon. Neque vero aliter, nisi forte per somnia et spectra, Socrates de deorum voluntate vulgo cognoscere solet. Quodsi hic locus adversariis probari et satisfacere non potest, praeterea addendum Symp. VIII. 5, ubi daemonium Socratem cum Antisthene colloqui vetare dicitur: *τὸ δαιμόνιον προφασιζόμενος οὐ διαλέγει μοι.* Quamquam hic locus solum videtur indicare *tunc temporis* daemonium eum a colloquio continuisse cum eo quocum ei amicitia iam esset, neque *in universum* illustrat, quomodo quem in familiaritatem acceperit, qui nondum ab intimis esset et Socratis amicitiam appeteret. Plato autem nos de hac re certiores facit pluribus locis, propterea quod eius scripta Socratica plura sunt quam Xenophontis: Theaet. 151, ubi sermo est de adulescen-

---

[1]) Utique locum ita interpretari malo quam facere cum Joël qui l.l. 85 arbitrari videtur Socratem alienam *μαντικὴν* consuluisse priusquam amicitiam coniungeret. „Wie in den Memorabilien Sokrates die Mantik selbst vor der Jagd auf Freunde befragen lässt e. q. s.

tulis amicitiam primum discindentibus deinde paulo post denuo renovare cupientibus, οἷς, ὅταν πάλιν ἔλθωσιν δεόμενοι τῆς ἐμῆς ξυνουσίας καὶ θαυμαστὰ δρῶντες, ἐνίοις μὲν τὸ γιγνόμενόν μοι δαιμόνιον ἀποκωλύει ξυνεῖναι, ἐνίοις δὲ ἐᾷ καὶ πάλιν αὐτοὶ ἐπιδιδόασι.

Alcib. 103 A. B. τούτου δὲ τὸ αἴτιον γέγονεν οὐκ ἀνθρώπειον, ἀλλά τι δαιμόνιον ἐναντίωμα, οὗ σὺ τὴν δύναμιν καὶ ὕστερον πεύσει· νῦν δ' ἐπειδὴ οὐκέτι ἐναντιῶται, οὕτω προσελήλυθα· εὔελπις δέ εἰμι καὶ τὸ λοιπὸν μὴ ἐναντιώσεσθαι αὐτό, id quod vidimus Antistheni obtigisse (Symp. VIII. 5).

Praeterea in eodem dialogo 105 E. νεωτέρῳ μὲν οὖν ὄντι σοι καὶ πρὶν τοσαύτης ἐλπίδος γέμειν, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, οὐκ εἴα ὁ θεὸς διαλέγεσθαι, ἵνα μὴ μάτην διαλεγοίμην· νῦν δὲ ἐφῆκε. Quo loco in dubio sum utrum verbo ἐφῆκε concedendi aut iubendi vis insit. Haec interpretatio indicium esset daemonii adhortantis — apud Platonem!

Deinde Alcib. 124 C, Θεός, ὅσπερ σοί με οὐκ εἴα πρὸ τῆςδε τῆς ἡμέρας διαλεχθῆναι. Locus notabilis. Videmus daemonium et deum idem esse! Idem 105 E οὐκ εἴα ὁ θεός. Laches 201 C, Ἀλλὰ ποιήσω, ὦ Λυσίμαχε, ταῦτα, καὶ ἥξω παρὰ σὲ αὔριον, ἐὰν θεὸς ἐθέλῃ, quae ultima verba, collata pag. 200 D, ad daemonium hic quoque referendum esse censeo, ἐπεὶ κἂν ἐγὼ τὸν Νικήρατον τούτῳ ἥδιστα ἐπιτρέποιμι, εἰ ἐθέλοι οὗτος· ἀλλὰ γὰρ ἄλλους μοι ἑκάστοτε ξυνίστησιν, ὅταν τι αὐτῷ περὶ τούτου μνησθῶ, αὐτὸς δὲ οὐκ ἐθέλει κ. τ. λ.

Postremum Theages 129 E. nobis omnem rem ordine enarrat et plenam huius partis rerum Socraticarum condicionem exponit. Postquam enim adulescens vel iuvenis in familiaritatem acceptus est, optime fieri potest ut daemonium intercedat, cf. Symp. Xen. VIII. 5., Alcib. Plat. 103 B εὔελπις δέ εἰμι καὶ τὸ λοιπὸν μὴ ἐναντιώσεσθαι αὐτὸ.

Utrum dii propitii mansuri sint annon, hoc quoque incertum; cf. Alcib 105 D Ὅτι ἐὰν θεὸς ἐθέλῃ; Alcib. 127 E καὶ ἐὰν τοῦτο ποιῇς, ἂν θεὸς ἐθέλῃ, εἴ τι δεῖ καὶ τῇ ἐμῇ μαντείᾳ πιστεύειν, σύ τε κἀγὼ βέλτιον σχήσομεν.

Eadem locutio Theaet. 151 D ἐὰν γὰρ θεὸς ἐθέλῃ καὶ ἀνδρίζῃ, οἷός τ' ἔσει.

Imprimis autem Theaet. 150 D πάντες δὲ προϊούσης τῆς ξυνουσίας, οἷσπερ ἂν ὁ θεὸς παρείκῃ, θαυμαστὸν ὅσον ἐπιδιδόντες.

Nonnulli autem Socratem deserunt et ad priorem levitatem et inertiam relabuntur, cf. Theaet. 150 E.

Haec omnia breviter comprehendit locus in Theage dialogo, quem totum hic describere non pudet. Hunc enim dialogum, vulgo subditivum habitum, identidem a me laudari ne quis miretur [1]. Libenter pro mea virili demonstrare conabor hac ex parte falsis criminibus viros doctos hunc libellum, mea quidem sententia vere Platonicum, accusare et iniquo bello persequi.

Πολλοῖς μὲν γὰρ ἐναντιοῦται, καὶ οὐκ ἔστι τούτοις ὠφεληθῆναι μετ' ἐμοῦ διατρίβουσιν, ὥστε οὐχ οἷόν τέ μοι τούτοις συνδιατρίβειν· πολλοῖς δὲ συνεῖναι μὲν οὐ διακωλύει, ὠφελοῦνται δὲ οὐδὲν συνόντες. οἷς δ' ἂν συλλάβηται τῆς συνουσίας ἡ τοῦ δαιμονίου δύναμις, οὗτοί εἰσιν ὧν καὶ σὺ ᾔσθησαι· ταχὺ γὰρ παραχρῆμα ἐπιδιδόασι. καὶ τούτων αὖ τῶν ἐπιδιδόντων οἱ μὲν καὶ βέβαιον ἔχουσι καὶ παραμόνιμον τὴν ὠφέλειαν· πολλοὶ δέ, ὅσον ἂν μετ' ἐμοῦ χρόνον ὦσι, θαυμάσιον ἐπιδιδόασιν, ἐπειδὰν δέ μου ἀπόσχωνται, πάλιν οὐδὲν διαφέρουσιν ὁτουοῦν [2].

Igitur nihil novum et inauditum hoc loco Theages exhibet.

Nunc autem quaeritur quomodo et quatenus amicis, qui semel in familiaritatem accepti sint, daemonium profuerit; et quamquam admodum lubricum est et difficile haec ita exponere ut nulli explicatio offensioni sit, quippe quae obscuritate obvoluta sint, ut in rebus ad deum et res divinas pertinentibus fieri solet, accingamur et arenam ingrediamur. Antecedat autem disputatio et investigatio quatenus ipsum Socratem daemonium tueatur et adiuvet.

Amicorum igitur admittendorum daemonium curam et tutelam habet. Tota enim vita Socratis (per daemonium!) a deis administratur, gubernatur, regitur. Eorum tutela semper tutus est. Quae habet a deo habet. Eiusmodi quid praeteriens dixit Plat. Lys. 204 C *τοῦτο δέ μοί πως ἐκ θεοῦ δέδοται.*

Alibi, Euthyd. 272 E *κατὰ θεὸν γάρ τινα ἔτυχον καθήμενος ἐνταῦθα.*

[1]) Vid. pag. 37, 49, 51.

[2]) Hac luce quoque interpretandi esse videntur loci quales sunt Plat. Phaedr. 276 E. *λαβὼν ψυχὴν προσήκουσαν* et Mem. IV. 1. 2. *τῶν τὰς ψυχὰς πρὸς ἀρετὴν εὖ πεφυκότων ἐφιέμενος.*

Diserte Xen. Mem. I. 1. 19: *Σωκράτης δὲ πάντα μὲν ἡγεῖτο θεοὺς εἰδέναι, τά τε λεγόμενα καὶ πραττόμενα καὶ τὰ σιγῇ βουλευόμενα, πανταχοῦ δὲ παρεῖναι καὶ σημαίνειν τοῖς ἀνθρώποις περὶ τῶν ἀνθρωπείων πάντων.*

Mem. I. 4. 18 *ἢν* —— *οὕτω καὶ τῶν θεῶν πεῖραν λαμβάνῃς θεραπεύων, εἴ τί σοι θελήσουσι περὶ τῶν ἀδήλων ἀνθρώποις συμβουλεύειν, γνώσει τὸ θεῖον ὅτι τοσοῦτον καὶ τοιοῦτόν ἐστιν, ὥσθ' ἅμα πάντα ὁρᾶν καὶ πάντα ἀκούειν καὶ πανταχοῦ παρεῖναι καὶ ἅμα πάντων ἐπιμελεῖσθαι.* Cf. Mem. IV. 3. 12 sub finem.

Notissima verba *συμβουλεύειν*, *σημαίνειν* (cf. Xen. Apol. 12) indicio sunt daemonium his quoque locis significari. Homines praemonentur ominibus vulgaribus, Socrates per daemonium!

Deinde Apol. Plat. 40 A. B. *ἡ γὰρ εἰωθυῖά μοι μαντικὴ ἡ τοῦ δαιμονίου ἐν μὲν τῷ πρόσθεν χρόνῳ παντὶ πάνυ πυκνὴ ἀεὶ ἦν καὶ πάνυ ἐπὶ σμικροῖς ἐναντιουμένη, εἴ τι μέλλοιμι μὴ ὀρθῶς πράξειν· ἐμοὶ δὲ οὔτε ἐξιόντι ἕωθεν οἴκοθεν ἠναντιώθη τὸ τοῦ θεοῦ σημεῖον, οὔτε ἡνίκα ἀνέβαινον ἐνταυθοῖ ἐπὶ τὸ δικαστήριον, οὔτ' ἐν τῷ λόγῳ οὐδαμοῦ μέλλοντί τι ἐρεῖν· καίτοι ἐν ἄλλοις λόγοις πολλαχοῦ δή με ἐπέσχε λέγοντα μεταξύ· νῦν δὲ οὐδαμοῦ περὶ ταύτην τὴν πρᾶξιν οὔτ' ἐν ἔργῳ οὐδενὶ οὔτ' ἐν λόγῳ ἠναντίωταί μοι.*

Intercessionis daemonii pauca exempla omnibus nota inveniuntur Plat. Euthyd. 272 E. ubi abire vetatur, sophistarum declamationem audire et colloquiis interesse debet.

Respubl. 496 C., Apol. Plat. 31 D ubi ad rem publicam accedere prohibetur, Phaedr. 242 B ubi flumen transire vetatur.

Mem. Xen. IV. 8. 5., Apol. 4 orationem meditari non licet.

Theaet. Plat. 151 A, alibi amicitiam coniungere prohibet deus.

Haec omnia ad *facta* Socratis spectant (*ἐν ἔργῳ*). Daemonii *disputantem* Socratem *gubernantis et regentis* indicium vel exemplum deprehendimus in Phaedro dialogo 242 C.

Etenim iam Phaedr. 238 C. D. disputatio videtur a deis gubernari *δοκῶ τι σοί, ὥσπερ ἐμαυτῷ, θεῖον πάθος πεπονθέναι;* —— *Σιγῇ τοίνυν μου ἄκουε. τῷ ὄντι γὰρ θεῖος ἔοικεν ὁ τόπος εἶναι· ὥστε ἐὰν ἄρα πολλάκις νυμφόληπτος προϊόντος τοῦ λόγου γένωμαι, μὴ θαυμάσῃς.* —— *ἀλλὰ τὰ λοιπὰ ἄκουε· ἴσως γὰρ κἂν ἀποτράποιτο τὸ ἐπιόν. ταῦτα μὲν οὖν θεῷ μελήσει, ἡμῖν δὲ πρὸς τὸν παῖδα πάλιν τῷ λόγῳ ἰτέον.*

In disputatione et declamatione deus dux est et tutor.

Peccatum autem expiare iubetur a *daemonio* 242 C.

Neque haec omittenda: 242 C, *ἐμὲ γὰρ ἔθραξε μέν τι καὶ πάλαι λέγοντα τὸν λόγον.*

Praeterea huc faciunt 279 B: *ταῦτα δὴ οὖν ἐγὼ μὲν παρὰ τῶνδε τῶν θεῶν ὡς ἐμοῖς παιδικοῖς Ἰσοκράτει ἐξαγγέλλω.* Quae verba nobis in mentem revocant quae leguntur in Xen. Apol. 13 *τῶν φίλων πολλοῖς δὴ ἐξαγγείλας τὰ τοῦ θεοῦ συμβουλεύματα κ. τ. λ.*

Aut certa et usitata esse locutio videtur aut ratio aliqua alteri scriptori cum altero intercedit.

Haec omnia ipsius Socratis commodi causa fiunt. Quae ratio autem intercedit inter Socratis daemonium et Socratis amicos intimos?

Xenophonte auctore ei quoque qui intima amicitia cum Socrate coniuncti sunt, deorum tutela frui videntur; eorum quoque vita a deis per Socratis daemonium gubernatur.

Ipse Socrates eis denuntiat quid faciendum aut omittendum sit. Cf. Xen. Ap. 13, Mem. I. 1. 4.

Adhuc plerique viri docti hanc rerum Socraticarum expositionem, qualem apud Xenophontem legimus, falsam habuerunt. Plato enim non tam diserte quam Xenophon haec tradidit, et Theages dialogus, qui Xenophonti auxilio venit, deberi contendunt tenebrioni, optimo inimico, quem nonnulli viri docti nimis temere tanquam quendam deum ex machina proferre solent.

Percenseamus autem alios locos apud Platonem qui huc faciunt.

In Alcib. 103 A *ἀλλά τι δαιμόνιον ἐναντίωμα, οὗ σὺ τὴν δύναμιν καὶ ὕστερον πεύσει.* Admittendi cura hinc aliena, Alcibiades enim iam amicorum in numerum admissus est.

Sic ut deus Socratis tutor est (Alcib. 124 C. *Ὁ ἐπίτροπος ὁ ἐμὸς βελτίων ἐστὶ καὶ σοφώτερος ἢ Περικλῆς ὁ σός*) optimus et sapientissimus, ita Socrates Alcibiadis tutor fit (Alcib. 105 E: *παντὸς ἄξιός εἰμί σοι, καὶ οὔτ' ἐπίτροπος οὔτε συγγενὴς οὔτε ἄλλος οὐδεὶς ἱκανὸς παραδοῦναι τὴν δύναμιν ἧς ἐπιθυμεῖς πλὴν ἐμοῦ, μετὰ τοῦ θεοῦ μέντοι*). Potentissimus est, deo autem iuvante, cf. etiam Alcib. 135 C. D.

Neque solum haec eo spectant ut Alcibiades progressiones faciat ad sapientiam et virtutem. Ut verum tutorem decet, vitae eius et saluti ab eo inde tempore consuluisse Socratem consentaneum est.

Sic ut facta et dicta Socratis (ἐν ἔργῳ. ἐν λόγῳ Apol. 40 A) a deo per daemonium custodiuntur, ita quoque amici per daemonium Socratis tuti sunt deorum tutela. Easdem partes egisse daemonium erga amicos atque ergo ipsum Socratem credibile est. Voluntas dei Socrati per daemonium innotuit et ei denuntiatur; per daemonium deinde Socrates, deo favente, prohibente (vel hortante), admonebatur ut amicos iuvaret. Quomodo deus aliter amicis prodesse potuerit, non video.

Itaque summo mihi videor iure coniungere cum daemonio quae leguntur in Theaeteto 150 D. τῆς μέντοι μαιείας ὁ θεός τε καὶ ἐγὼ αἴτιος, ubi deus et servus vel administer, auctores sunt progessionis; 150 D. οἷσπερ ἂν ὁ θεὸς παρείκῃ, cf. Theages 131 καὶ ἐὰν μὲν παρείκῃ ἡμῖν sc. τὸ δαιμόνιον, 151 D. ἐὰν γὰρ θεὸς ἐθέλῃ; contra Stallbaum igitur, acerrimum accusatorem, qui haec scripsit (Platonis Opera VI. Proleg. ad Theagem): „Nam in Theaeteto neutiquam illud docetur ab isto daemonio alios in discendo esse adiutos alios retardatos, sed hoc potius ostenditur eos quibus divinitus destinatum sit per Socratis familiaritatem veri cognitione augeri etiamsi ab eo nihil edoceantur. Itaque ὁ θεός, qui ibi memoratur, non est Socratis daemonium, sed potius deus, i. e. sors divina".

Neque moleste feremus sed potius laetamur „quod eo potissimum universa scriptio pertinet (Stallbaum l.l.) ut demonstretur eventum disciplinae et institutionis Socraticae totum pependisse ex divina quadam *daemonii* vi et efficacia qua effectum sit, ut alii, qui cum eo conversati sint, in studio sapientiae processerint, alii nihil bonae frugis in medium attulerint."

Virum doctum praeterisse videtur daemonium instrumentum esse tantum, medium, re vera deum omnia efficere, et per daemonium Socratis et eius amicorum vitam gubernare et custodire.

Theages vero nulla re ab aliis dialogis differt nisi quod exemplis ibi illustratur quod in aliis scriptis translucet et significatur.

§ 9. NONNULLAE DISCREPANTIAE.

Platonem praeterea non esse, id quod vult Taylor (V. S. 30, 37), auctorem rerum Socraticarum cui sine exceptione fidem habere possumus, neque nobis verum et historicum, quem vocant, Socratem semper depinxisse, et ex aliis rebus nobis perspicuum erit et inde apparet quod in Phaedone, in Apologia, in Critone sibi non constanter loquitur.

Laetitia et spes mortis in *Apologia* totae sunt in *daemonio tacente* 40 C: οὐ γὰρ ἔσθ' ὅπως οὐκ ἠναντιώθη ἄν μοι τὸ εἰωθὸς σημεῖον, εἰ μή τι ἔμελλον ἐγὼ ἀγαθὸν πράξειν.

In *Phaedone* longe aliter res se habet. Veri philosophi (οἱ ὡς ἀληθῶς φιλόσοφοι 64 B., τοῖς γνησίως φιλοσόφοις 66 B.) verum videre animo tantummodo possunt, 65 B. ἡ ψυχὴ τῆς ἀληθείας ἅπτεται cf. 67 D. E. Laetantur ergo animum corpore liberari. Sibi ipsum manus afferre fas non est: ἄλλον δεῖ περιμένειν εὐεργέτην 62 A. Beneficium ergo mors est. Iam multis annis antequam reus factus est, credibile est Socratem, *qualis in Phaedone nobis depingitur*, morte sua gavisum esse. Iam multis annis ante persuasum ei erat mortem esse summum bonum. Hanc ob causam plenus spei est in Phaedone 63 C. εὔελπίς εἰμι, 64 A. εὔελπις εἶναι ἐκεῖ μέγιστα οἴσεσθαι ἀγαθά, quod iamiam summo illo bono frui ei continget. Contra Phaed. 85, quem locum cum daemonio componendum esse vidimus, spes denuo, sicut in Apologia, *daemonio*, non *doctrina*, niti videtur.

In Apologia 40, 41 Socrates demonstrat mortem esse aut *somni* vel *noctis* similem aut *migrationem*. Utrumque ei videtur iucundissimum. At in Phaedone 72 B. C. apertis verbis contra hanc sententiam disputat; mortem esse somni vel noctis similem, ex qua nemo unquam expergiscetur (Apol. 40 E οὐδὲν πλείων ὁ πᾶς χρόνος φαίνεται οὕτω δὴ εἶναι ἢ μία νύξ) prorsus reicit. Acriter eam sententiam impugnat. Ipse lector benevolus locum inspiciat velim et eius disputationem legat (71, 72). Si homines et animalia numquam expergiscerentur, postremum πάντ' ἂν λῆρον

τὸν Ἐνδυμίωνα ἀποδείξειεν. Cf. praeterea 107 C. εἰ μὲν γὰρ ἦν ὁ θάνατος τοῦ παντὸς ἀπαλλαγή, exoptatum hoc esset pravis hominibus, νῦν δ' ἐπειδὴ ἀθάνατος φαίνεται οὖσα sc. ἡ ψυχὴ κ. τ. λ. In *Apologia* de *migratione* ad inferos caute et circumspecte loquitur. Ipse notitiam vel sententiam non habet, ex aliorum testimonio et verbis totus pendere videtur: 40 C κατὰ τὰ λεγόμενα, 40 E. εἰ ἀληθῆ ἐστιν τὰ λεγόμενα, 41 C. εἴπερ γε τὰ λεγόμενα ἀληθῆ ἐστιν. Particula quoque ἂν per totum locum indicio est loqui eum de re incerta. Sic non locutus esset si vere et plane Pythagoreus fuisset, neque opinionem vulgatam hominum (τῶν πολλῶν) attulisset, de quibus in Phaedone cum contemptu loqui fingitur Phaedo 64 C, εἴπωμεν πρὸς ἡμᾶς αὐτοὺς χαίρειν εἰπόντες ἐκείνοις, 77 B. τὸ τῶν πολλῶν reicit.

In Phaedone praeterea pro certo affirmat etiam alia eademque a vulgata hominum opinione diversa cf. 108 A, 107 C, item de Re publ. 615 A. De animis denuo in terram redeuntibus in Apologia verbum nullum.

Descriptio Orci quae in Phaedone nobis offertur non congruit cum ea quae ex Apologia nobis innotuit. Iam Rohde, „Psyche" 59 admiratus est Sisyphum non inter perditos numerari. Quid enim? Umbrae separantur. Phaed. 113 D. e. q. s.. Gorg. 525 C. Sisyphum ergo τὸν ἀεὶ χρόνον τιμωρούμενον (Gorg. 525 E) Socrates videre non potest qui πορευθεὶς ἐπὶ τὸν Ἀχέροντα, ἀναβὰς ὁ δὴ αὐτῷ ὄχημά ἐστιν, ἐπὶ τούτου ἀφικνεῖται εἰς τὴν λίμνην, καὶ ἐκεῖ οἰκεῖ Phaed. 113 D. Confabulari igitur non potest cum perdito eodemque sagacissimo rege. Homines, qualis Sisyphus erat, ἡ προσήκουσα μοῖρα ῥίπτει εἰς τὸν Τάρταρον, ὅθεν οὔποτε ἐκβαίνουσιν Phaed 113 E.

Gravius autem est quod *statim* post Palamedem et Aiacem, quorum hic iniuria affectus, ille falsis criminibus circumventus, διὰ κρίσιν ἄδικον τέθνηκεν, nominatur Odysseus atque eodem loco fingitur vitam degere atque ei qui illius opera mortui sunt! Secundum Phaedonem dialogum 114 B. potius orare atque obsecrare debebat οὓς ὕβρισεν. Fortasse autem iam cum iis in gratiam rediit!

Quod Minos aliique, qui iudices apud inferos sunt, nominantur et antiqui vates et poetae, hoc non Pythagoreorum proprium est, ut Taylor vult pag. 31, sed opinionis vulgatae.

Unde igitur factum est ut hi tres reges in Apologia commemorarentur? Nempe Odysseus et Sisyphus sollertes habebantur; Agamemnon omnium regum princeps erat.

Ut hanc partem nostrae disputationis absolvamus, Socrates utique huic doctrinae deditus non erat, neque Socrates mutatus est ex eo inde tempore quo causa cecidit, sed *Plato qui pro re nata, vel ut pulchrum opus componat, nonnumquam de eadem quaestione, alio loco aliter, Socratem disserentem inducit et nobis ergo non auctor est cui sine exceptione credamus.*

Aliud, non autem hinc alienum, hoc est, quod nonnullae sententiae in Apol. Plat. non optime cohaerent. Apol. 40 B. mors bonum est, non solum Socrati sed etiam unicuique homini: *οὐκ ἔσθ' ὅπως ἡμεῖς ὀρθῶς ὑπολαμβάνομεν, ὅσοι οἰόμεθα κακὸν εἶναι τὸ τεθνάναι.* At aliis locis mors videtur esse malum, èt Socrati, 38 E. *ἕνεκα τοῦ κινδύνου πρᾶξαι οὐδὲν ἀνελεύθερον . , πολὺ μᾶλλον αἱροῦμαι ὧδε ἀπολογησάμενος τεθνάναι ἢ ἐκείνως ζῆν.* E duobus malis levissimum et honestissimum eligit. Periculum est tamen.

Pergit deinde demonstrare mortem, utpote malum, effugiendum esse, non autem quoquomodo.

Alibi 29 B, 37 B, nescit utrum malum an bonum mors sit.

Contra 40 C. *μέγα τεκμήριον* commemorat et asseverat non fieri potuisse quin (*οὐ γὰρ ἔσθ' ὅπως*) daemonium dehortatum esset si mors non bonum esset.

Praeterea Critonem et Phaedonem inter se discrepare inde apparet quod, pulchra moriendi occasione oblata, Plato in Critone non illud moriendi studium, e Phaedone nobis notissimum, tanquam causam profert, quare aufugere nolit, sed aliam pulchram suasoriam conscripsit, et Socratem de iustitia magnifice facit disputantem; deinde quod in Phaedone Crito sponsione se obstrinxit non fugiturum esse Socratem, in Critone autem Critoni non exprobratur eum suadendo contra fas et ius agere, quod argumentum e silentio hic quoque aliquid valere videtur.

Quae omnes discrepantiae inde originem trahunt quod Plato suas opiniones cum Socraticis confundebat, saepe de suo nonnihil addebat.

Unde fit ut Platonis opera plena rimarum sint, hac atque illac perfluant.

§ 10. QUOMODO FACTUM SIT UT ACCUSATORES PLURALI NUMERO DE DAEMONIO LOQUERENTUR (ΚΑΙΝΆ ΔΑΙΜΌΝΙΑ).

Quamquam Symp. 202 E. daemonium singulari numero occurrit, tamen uno illo vocabulo *πᾶν τὸ δαιμονιόν*, omnes daemones, comprehensi sunt. Paulo quoque post permultos esse daemonas audimus (203 A, *οὗτοι δὴ οἵ δαίμονες πολλοὶ καὶ παντοδαποί*). Facile igitur transitus paratur a daemonio ad daemonia vel daemonas; non solum apud adversarios, quos interiorem daemonii notitiam non habuisse non mirandum est, sed etiam apud ipsum Socratem, quod apparet aliquatenus ex Apol. Xen. 14: *ἵνα ἔτι μᾶλλον ἀπιστῶσι τῷ ἐμὲ τετιμῆσθαι ὑπο δαιμόνων* et Apol. Xen. 8: *οἵ θεοὶ τότε μου ἠναντιοῦντο* scil. per daemonium.

Deinde Graecorum polytheismus, quem sic vocant, unum deum non admittebat. Neque unus deus tantum — Apollinem dico —, sed etiam alii fortasse per daemonium Socrati patrocinati sunt. Maiorem vim praeterea accusatio habitura erat si deis patriis alia nova atque inaudita daemonia — plurali numero! — opposita erant. Sic Aristophanes quoque plurali numero Nubes tanquam novas deas inducit. In illa autem comoedia daemonium nusquam memoratur, neque perstringitur. Fortasse igitur comico nondum innotuit. Per Nubes enim — deas dico — physicos potius popello deridendos praebuit, quorum iniuria Socrates unus habebatur.

§ 11. DE SOCRATE PYTHAGOREORUM SODALICII PRINCIPE.

Quamquam ex Euth. Plat., ex Apol. Xen., e Mem., pro certo scimus in daemonio eius impietatem sitam esse, daemonium ansam

praebuisse accusatoribus, operae pretium fortasse est considerare quomodo Taylor alteram partem τῆς ἀσεβείας γραφῆς interpretari conetur.

Var. Socr. pag. 18 Taylor contendit Socratem intima amicitia coniunctum fuisse cum Pythagoreis (closely connected in a sort of society with Pythagorean foreigners), principem sodalicii (the central figure of likeminded persons). Ex Phaedone enumerantur Simmias, Cebes, tanquam discipuli Philolai, deinde Phaedo, Euclides, Terpsion, non alieni a doctrina Pythagoreorum. Quam accurate rem exploraverit ex locis sequentibus apparebit.

Phaedo 61 D. mortem sibi consciscere pio homini fas non est, mori autem cupit. „Πῶς τοῦτο λέγεις", Cebes rogat; deinde haec sequuntur: 'Τί δέ, ὦ Κέβης; οὐκ ἀκηκόατε σύ τε καὶ Σιμμίας περὶ τῶν τοιούτων Φιλολάῳ συγγεγονότες'; 'οὐδέν γε σαφές, ὦ Σώκρατες'. 'ἀλλὰ μὴν καὶ ἐγὼ ἐξ ἀκοῆς περὶ αὐτῶν λέγω, ἃ μὲν οὖν τυγχάνω ἀκηκοώς, φθόνος οὐδεὶς λέγειν. Loquitur Socrates de placitis haud ita cognitis, neque ipse patronus huius doctrinae est, sed tantum modo amicus. Iuvenes autem Thebani ignari huius rei sunt neque sectam Pythagoreorum sequi videntur.

Phaedo 62 B. ὁ μὲν οὖν ἐν ἀπορρήτοις λεγόμενος περὶ αὐτῶν λόγος ——— μέγας τέ τίς μοι φαίνεται καὶ οὐ ῥάδιος διιδεῖν. Sic loquitur homo qui utique non habet — vel habere fingitur — interiorem rei notitiam.

Phaedo 63 C. αὐτὸς ἔχων τὴν διάνοιαν ταύτην ἐν νῷ ἔχεις ἀπιέναι, ἢ κἂν ἡμῖν μεταδοίης; mente supplendum: ignari enim huius doctrina sumus. Deinde Socrates arcana et nova profert 63 E. — ——— κινδυνεύουσι γὰρ ὅσοι τυγχάνουσι ὀρθῶς ἁπτόμενοι φιλοσοφίας λεληθέναι τοὺς ἄλλους ὅτι οὐδὲν αὐτοὶ ἐπιτηδεύουσιν ἢ ἀποθνῄσκειν τε καὶ τεθνάναι. Quae verba adeo nova sunt ut admirationem, immo vero risum moveant.

Phaedo 64 B. τῷ ὄντι οἱ φιλοσοφοῦντες θανατῶσι — spernunt enim voluptates vitae cf. 64 D, 65 A —, Simmias autem non dixit θανατῶμεν. Ipse in horum numero non est. Contra Socrates *Platonicus* apertis verbis asseverat se inter illos philosophos numerandum esse: ὧν δὴ καὶ ἐγὼ κατά γε τὸ δυνατὸν οὐδὲν ἀπέλιπεν ἐν τῷ βίῳ ἀλλὰ παντὶ τρόπῳ προυθυμήθην γενέσθαι. Thebani illi qui

Philolai auditores fuerunt — vel fuisse finguntur — dubitant utrum anima post mortem adhuc sit annon sit: 70 A. Plane hospites sunt in illa doctrina! 70 B. ἔγωγε οὖν, ἔφη ὁ Κέβης, ἡδέως ἂν ἀκούσαιμι ἥντινα δόξαν ἔχεις περὶ αὐτῶν. Phaedo 86 Simmias *contra immortalitatem animi* disputat, item Cebes 88 B. Non possumus igitur astipulari Tayloro qui iuvenes illos Thebanos sectatores facit doctrinae Pythagoreorum. Neque circulum amicorum, qui adfuerunt, Pythagoreos habeo. Non Antisthenem, quem per totam disputationem tacere contra fidem Phaedonis puto debere valere, neque Critobulum neque Apollodorum neque Aristippum qui forte peregre aberat, neque alios. Quos omnes eiusdem doctrinae fuisse mire contendere videtur Taylor. V. S. 18 (In the Phaedo Socrates is the central figure of a group of likeminded persons).

Praeterea in Critone 45 A. B. legimus Simmiam pecuniam secum tulisse. Taylor pag. 20 hoc factum ita interpretatur ut Pythagorei Thebani stipem collegerint Socratis redimendi causa Vidimus iuvenes Thebanos contra doctrinam illam disputare, Pythagoreos igitur non posse appellari. Neque vero recte intellegere Taylor videtur locum nostrum. De stipe colligenda vel collecta ne vestigium quidem invenimus. Unusquisque pro se loqui videtur, suam pecuniam attulisse vel offerre paratus esse. Etenim si Simmias loqueretur pro omnibus Pythagoreis Thebanis et eorum mandatu pecuniam afferret, subabsurdum esset subiungere Cebetem ad eandem rem paratum esse. Videntur illi iuvenes et amici Socratis satis divites fuisse (ξένοι αὖ τοι ἐνθάδε ἑτοῖμοι ἀναλίσκειν· —— ἑτοῖμος δὲ καὶ Κέβης καὶ ἄλλοι πολλοὶ πάνυ), sicut ipse Criton (τὰ ἐμὰ χρήματα, ὡς ἐγὼ οἶμαι, ἱκανά.).

His argumentis fretus Taylor sibi iure videtur putare impietatem Socratis nihil aliud esse atque societatem cum Pythagoreis V. S. 22. Et si interrogas virum doctum unde fieri potuerit ut in Apologia nulla sententia e schola Pythagoreorum legatur, respondebitur tibi argumenta quibus haec religio nitatur servata esse intimis illis amicis qui in carcere cum Socrate congregabantur. V. S. pag. 31: Of the grounds for the faith that was in him Socrates could naturally say nothing to the dicastery; they are

kept for the like-minded few who gather round him in the prisonhouse in the Phaedo.

Quinam illi Pythagorei fuerint, adhuc ignoramus!

Et ex Aristophanis Nubibus Socratis Pythagoreismum T. demonstrare conatur. Hic quoque errat. Nubes enim non veram nobis Socratis imaginem depingere ex Platone pro certo scimus vel uno loco, 23 D. Apol. τὰ κατὰ πάντων τῶν φιλοσοφούντων πρόχειρα ταῦτα λέγουσιν κ. τ. λ quibus verbis Nubes perstringuntur. Praeterea nullum Pythagoreorum placitum in Nubibus legi statuendum est. De „collegio privatissimo" in Nubibus idem dici potest atque de sodalicio in Phaedone, quod Taylor excogitavit.

§ 12. CONCLUSIO.

Possumus etiam tractare nonnullas alias quaestiones quae ultro se offerunt; sufficiat autem eas leviter et obiter attingere vel commemorare tantum. Etenim quae ratio intercedit inter Socratem et omina vulgaria? Si dei per daemonium clientem suum praemonent, numquamne alia omina ab eis mittuntur? Vulgarem μαντικήν quoque ab eo neglectam esse sumamus? Quomodo deus eum in disputando (ἐν λόγῳ) iuvare poterat? Logica enim extra vel supra deum est. An dux erat ei (mortalis erat, longe videre non poterat!), in Labyrinthum Rationis Purae descendenti?

Unum responsum statim dari potest et debet.

Rationalismo, quem vocant, ne occulta et reconditiora rerum divinarum — τὰ ἄδυτα, ut ita dicam —, perscrutari cupiamus. Contradictiones ibi invenientur. Nonnumquam Ratio eiusmodi rebus credere vetat et prohibet. Daemonium quoque miraculis adnumerandum, sicut omina vulgaria, sicut Resurrectio Jesus et sescenta alia in Scriptura Sacra, quae aut ficta habenda aut Ratione Duce interpretanda, aut sic temere accipienda sunt Ratione conivente. Ratio saepe inimica Religioni. Socrati soli contigit, cf. Plato de Re publ. 496 C ἢ γάρ πού τινι ἄλλῳ ἢ οὐδενὶ τῶν ἔμπροσθεν γέγονε. cf. Mem. IV. 3. 12. Σοὶ δ' ἐοίκασιν ἔτι φιλικώτερον ἢ τοῖς ἄλλοις χρῆσθαι. Apud posteriores — imita-

tores hac quoque in re sicut in superbia, vanitate, acerbia! — saepius occurrit vid. e. g. Plutarchus, de Genio Socratis 9.

Nos autem haec omnia investigare nostrae disputationis non ducimus. Explorare conati sumus quid et quale daemonium esset, quatenus scriptores consentirent, quatenus iis credendum esset. Vidimus Xenophontis scriptum hac quoque in re non carere fide historica, immo argumentis et indiciis e Platonis dialogis sumptis tanquam firmis fundamentis confirmari et corroborari; Platoni, utpote saepius ficta exhibenti, non sine exceptione credendum esse, Xenophontem vero orationem qua crimen impietatis diluit et redarguit, naturam et vim daemonii veritati convenienter et recte nobis tradidisse.

CAPUT III.

SIMILIA. DISSIMILIA.

§ 1. INTRODUCTIO.

Sequitur ut verba, locutiones, sententias consimiles et in utriusque Apologia obvias recte atque ordine designare conemur. Quae similitudines quomodo interpretandae sint, postea tractabitur. Hic autem atque illic iam statim in hoc capite eas contemplabimur atque brevem dissertatiunculam subiungemus

Apologia Socratis Xenophontei in quatuor partes divisa est. Praemittitur in Apologia Xen. colloquium. Quinquies igitur apud Xen. in Apol. Socrates verba facit, ita ut omnis defensio apte hanc divisionem admittat:

I Socratis cum Hermogene colloquium § § 3—10.

II Socratis ante iudices oratio § § 11—22.

III Litis aestimationem recusat § 23.
(Quae verba a Xenophonte non traduntur).

IV Innocentiam post damnationem defendit § § 24—27.

V Abiens amicos alloquitur et maximum adversarium deridet.

Contra Platonis Apologia tribus partibus constat:

I Socratis oratio 17—36.

II Quae verba in litis aestimatione facit 36 A—38 B.

III Quae post damnationem dixit apud iudices 38 B—42.

In hac nostra divisione apparebit apud utrumque scriptorem nonnumquam eadem — similiter aut aliter — legi *diversis* Apologiae partibus.

Quae diversitas admodum miranda est. Etenim similia ex ipsa Socratis Apologia tanquam ex communi fonte hausta esse libenter nobis persuadeamus. At aliter res se habet ubi dissimilia leguntur, vel similia èt apud Xen. èt apud Platonem diversis autem partibus utriusque Apologiae. Nisi forte credimus bis ea dicta esse a Socrate, quod statim reicio!

Ad aliam tum interpretationem confugiendum est. Aut alteri in Apologia sua *liberius* componenda alterius scriptum prae manibus fuit, quod liberrimum in modum in suum usum convertit, nulla fidei historicae habita ratione, aut uterque suo modo refert verba Socratis quae a Socraticis ab alio aliter certatim celebrata esse videntur, aut tertius scriptor utrique fons communis fuit. Quae quaestio hic commemorata tantum postea coniunctim cum aliis tractanda erit.

Unum nobis molestum est, a Xenophonte non omnia nobis tradi, Ap. Xen. 22 ἀλλ' ἐγὼ οὐ τὰ πάντα εἰπεῖν τὰ ἐκ τῆς δίκης ἐσπούδασα.

In comparandis autem verbis, locutionibus, sententiis similibus vel dissimilibus hanc quam supra indicavimus divisionem sequemur.

§ 2. PARS PRIMA, COLLOQUIUM CUM HERMOGENE

A. De intercessione daemonii.

Apol. Xen. 4.

δὶς ἤδη ἐπιχειρήσαντός μου σκοπεῖν περὶ τῆς ἀπολογίας ἐναντιοῦταί μοι τὸ δαιμόνιον.

Apol. Xen. 8.

ὀρθῶς δὲ οἱ θεοὶ τότε μου ἠναντιοῦντο, φάναι αὐτόν, τῇ τοῦ λόγου ἐπισκέψει.

Apol. Plat. 40 A.

ἡ γὰρ εἰωθυῖά μοι μαντική, ἡ τοῦ δαιμονίου, ἐν μεν τῷ πρόσθεν χρόνῳ παντὶ πάνυ πυκνὴ ἀεὶ ἦν καὶ πάνυ ἐπὶ σμικροῖς ἐναντιουμένη, εἴ τι μέλλοιμι μὴ ὀρθῶς πράξειν.

Apol. Plat. 40 B.

ἠναντιώθη τὸ σημεῖον, νῦν δὲ οὐδαμοῦ ἠναντίωταί μοι.

Apol. Plat. 40 C.

οὐ γὰρ ἔσθ' ὅπως οὐκ ἠναντιώθη ἄν μοι τὸ εἰωθὸς σημεῖον κ.τ.λ.

Qui reus factus est meditari solet quid dicat apud iudices ne causa cadat, neve morte multetur. Hunc morem, omnibus hominibus natura datum, non neglexisse Socratem consentaneum est. Deus autem, qui eius vitam per daemonium in omnibus eius factis dictisque gubernabat, clientem suum diutius vivere noluit et mori eum iam melius duxit (vid. infra). Quo factum est ut Socrates orationem meditaturus daemonio interveniente hac in re impediretur. Vincere iudicium opus non erat. Imparatissimus ergo et ex tempore verba fecisse Socrates apud iudices putandus est (vid. infra). Haec quae optime cohaerent, apte et hominum naturae convenienter decurrunt, nobis a Xenophonte traduntur.

Verbum quod est ἐναντιοῦσθαι proprium est daemonii intervenientis et apud utrumque scriptorem in utraque apologia plus semel legitur. Apud Xenophontem autem non in iudicio sed in colloquio cum optimo amico hoc verbo utitur Socrates; in ipsa oratione apud iudices de daemonio eiusmodi confessiones non leguntur et quamquam non omnia quae a Socrate dicebantur nobis a X. tradita sunt, nobis persuasum est talia, quae interioris notitiae sunt, de daemonio suo eum non communicavisse cum iudicibus, neque id quadrare in hominem damnatum, neque in Socratem nostrum superbum atque acerbum reum. Hoc ipsum est quod primo statim obtutu apud Platonem displicet. Praeterea admodum miranda videtur confessio illa suaviter communicata, quasi vero fieret inter optimos et fidelissimos amicos, *de daemonio quod columen erat accusationis*. Hoc est aut summae impudentiae aut scriptoris lectoribus suis ficta proponentis qui simul sperat, opinor, se talia occultare posse cum dimidiam partem criminis impietatis — quod ad daemonium pertinet — in Apologia sua conscribenda alto silentio praetereat et suum in usum commutet. Et si re vera Hermogenes auctor haec Xenophonti denuntiavit, suspicio oritur Platonem hanc daemonii intercessionem, quam apud Xenophontem invenerat, in suum usum, contrarium in modum, convertisse, nisi forte alius quoque Apologiae scriptor talem praefationem praemiserat. Etenim in universum cum ceteris amicis praeter Hermogenem de defensione Socratem collocutum esse credibile est. Xenophon autem in sua Apologia *novam materiem contulit quae*

habitum Socratis ante iudices probabiliorem redderet. Et nova illa materies imprimis colloquium erat quod Socrates cum Hermogene habuerat antequam causam dicebat: Apol. Xen. 1. 2. ἀλλ' ὅτι ἤδη ἑαυτῷ ἡγεῖτο αἱρετώτερον εἶναι τοῦ βίου θάνατον, τοῦτο οὐ διεσαφήνισαν· ὥστε ἀφρονεστέρα αὐτοῦ φαίνεται εἶναι ἡ μεγαληγορία. Ἑρμογένης μέντοι ὁ Ἱππονίκου ἑταῖρός τε ἦν αὐτῷ καὶ ἐξήγγειλε περὶ αὐτοῦ τοιαῦτα, ὥστε πρέπουσαν φαίνεσθαι τὴν μεγαληγορίαν αὐτοῦ τῇ διανοίᾳ κ. τ λ Nostro iure ergo statuamus necesse est ex omnibus apologiis in Xenophontea sola talem praefationem esse praemissam.

Haec autem imitationis suspicio etiam augebitur atque confirmabitur cum alia, quae hac in re apud Platonem displiceant, percensuerimus.

Qualis et cuius modi ea pars Apologiae Platonicae sit, in qua de daemonii intercessione sermo sit, nunc contemplabimur. Plato longe alia atque diversa exhibet. Vidimus Socratem suaviter — et sollemniter hic atque illic — cum iudicibus confabulari. Mirum quid accidit, θαυμάσιόν τι γέγονεν. (vid. totum locum 40 A—40 C.).

Non ignoramus apud Platonem de more Socratem e daemonio tacente approbationem petere. Illis autem. quos attulimus locis e. g. Alcib. 103, 105 E (vid. pag 51), Socrati et faciendi et non faciendi copia erat. Nunc hac quoque in re eius sententia nititur daemonio non resistente. At ei aut veniendi in iudicium aut domi manendi arbitrium non iam liberum erat. Si non in iudicio adfuisset, eo magis damnatus esset, si non in tribunal escendisset neque orationem dixisset, eo magis damnatus esset. Debebat in iudicio adesse, defensione supersedere non potuit. Nunc autem audiamus argumentationem quam Socrates Platonicus nobis audiendam praebet. Daemonium eum non detinuit neque prohibuit neque dehortatum est: ἐμοὶ δὲ οὔτε ἐξιόντι ἕωθεν οἴκοθεν ἠναντιώθη τὸ τοῦ θεοῦ σημεῖον, οὔτε ἡνίκα ἀνέβαινον ἐνταυθοῖ ἐπὶ τὸ δικαστήριον, οὔτ' ἐν τῷ λόγῳ οὐδαμοῦ μέλλοντί τι ἐρεῖν κ. τ. λ. Suspicatur *ergo* Socrates bonum aliquid sibi eventurum esse. Κινδυνεύει γάρ μοι τὸ ξυμβεβηκὸς τοῦτο ἀγαθὸν γεγονέναι, καὶ οὐκ ἔσθ' ὅπως ἡμεῖς ὀρθῶς ὑπολαμβάνομεν, ὅσοι οἰόμεθα κακὸν εἶναι τὸ τεθνάναι. Etenim si malum quid instaret, daemonium eum retinuisset ne exiret, neve verba faceret. Sic enim pergit:

μέγα μοι τεκμήριον τούτου γέγονεν· οὐ γὰρ ἔσθ' ὅπως οὐκ ἠναντιώθη ἄν μοι τὸ εἰωθὸς σημεῖον, εἰ μή τι ἔμελλον ἐγὼ ἀγαθὸν πράξειν.

Iam statim haec verba demiror: Mors malum non est, nulli homini. Qua re nititur haec sententia? Quod philosopho cuidam reo, cui nomen Socrates Platonicus, daemonium quoddam non denuntiavit non esse respondendum apud iudices. Hinc efficitur nemini mortem esse pertimescendam! (ἡμεῖς οὐκ ὀρθῶς ὑπολαμβάνομεν ὅσοι οἰόμεθα κακὸν εἶναι τὸ τεθνάναι) Attamen aliis locis ei persuasum erat malum esse mortem. Apol. 29 B, 37 B, 38 D (vid. supra pag. 58).

Atqui *fac*[1]) mortem esse malum. Defendissetne ergo usque in aeternitatem Socratem suum ab hoc malo daemonium?! Rogamus quid hoc loco daemonium repugnare potuerit. Eundi vel manendi arbitrium non iam liberum ei erat. Sequitur hinc ut daemonium apud Platonem et frustra dehortari possit et tum repugnare cum nihil agere possit contra id quod instat. Ex hac re quoque apparere videtur ficta nobis proponi et veram daemonii vim aut ignorari aut neglegi. Deos enim tum monere homines cum monendo eos adiuvare non iam possunt, credibile non est. Fundamentum ergo huius confabulationis ementitum et confictum esse videmus.

Animadverti et H. Maier l. l. p. 459 hanc discrepantiam vidisse et defendisse.

Ipsum virum doctum audiamus: „Hier stehen Handlungen in Frage — das Weggehen von Hause, das Erscheinen an der Gerichtsstätte —, denen gegenüber Socrates wie es den Anschein hat keine Wahl mehr zwischen Tun und Lassen hatte, und das Daemonium hatte wie man darnach annehmen zu müssen scheint, wenn es sich geäuszert hätte, nur die Rolle des Unglückspropheten spielen können. Zu den subjectiven Erscheinungen, die Sokrates auf das Daimonion zurückgeführt hatte, müsste man also auch ein Vorausahnen drohenden Unheils zählen, und Xenophon wäre mit seiner Auffassung schliesslich doch auf dem rechten Wege gewesen".

---

[1]) εἰ μή τι ἔμελλον ἐγὼ ἀγαθὸν πράξειν. Hoc enim est quod pugnatur, interventurum fuisse daemonium *si* mors malum esset, repugnare igitur *posse* daemonium cum repugnando nil agere possit!

Quam opinionem obscura admodum disputatione haud ita breviter refellere et diluere conatur, cum postea hoc addat in adnotatione: „Auch das Weggehen von Hause und das Erscheinen an der Gerichtsstätte 40 B sind, genau betrachtet, als Handlungen gedacht, die ganz der freien Entscheidung des Handelnden unterstanden. Noch bis zum letzten Augenblick vor Beginn der Verhandlung hatte es nach attischen Prozeszrecht dem Sokrates freigestanden, sich durch freiwillige Verbannung dem Prozesz zu entziehen; ja noch nach der Verteidigungsrede konnte er rechtlich auf diese Weise der Verurteilung ausweichen. (Vgl. Meier—Schömann—Lipsius, Der Attische Prozess II S. 777.)"

Haec Maieri argumentatio nobis recta non videtur. Exilium in ipsa Apologia 37 C ab ipso Socrate poenarum gravissimarum in numero habetur. Potuit hoc si causa caderet ἀντιτιμᾶσθαι, sed noluit. Potuit prius temptare defensionem, deinde si res ei non bene cederet, ad exilium confugere. Hoc autem Socrates Platonicus morti anteponendum esse non videtur arbitratus esse. Et in exilio vitam degere contrarium est atque εὖ πράττειν. Talem libertatem agendi nullius pretii habendam esse neque vere libertatem appellari posse, non est quod moneamus.

Neque igitur nobis mutanda est nostra sententia sc.: apud Platonem tum dehortari *posse* daemonium cum post dehortationem Socrates nihilominus κακόν τι μέλλει πράττειν. Attamen disertis verbis traditur daemonium tueri Socratem suum a malis: οὐ γὰρ ἔσθ' ὅπως οὐκ ἠναντιώθη ἄν μοι τὸ εἰωθὸς σημεῖον, εἰ μή τι ἔμελλον ἐγὼ ἀγαθὸν πράξειν.

Contextus quoque displicet. Primum vaticinium edidit de quo postea videbimus, cuius finis autem ne nunc quidem praetermittendus est: ταῦτα μὲν οὖν ὑμῖν τοῖς καταψηφισαμένοις μαντευσάμενος ἀπαλλάττομαι Apud Platonem separatim — non apud Xenophontem! — Socrates iudices alloquitur. Hoc per se iam singulare, quod in oratione ficta fortasse fieri potest, in vera autem iudices non expectabunt, credo, dum se quoque allocutus sit. Aequo animo illos quievisse et damnato Socrati spatium loquendi dedisse ecquis credit?

Praeterea illud οὐδὲν γὰρ κωλύει διαμυθολογῆσαι πρὸς ἀλλήλους,

ἕως ἔξεστιν mihi videtur admodum simplex. Et in priore capite vidimus in Phaedone Socratem cum amicis longe aliter *διαμυθολογῆσαι*!

Sed haec sufficiant. Apud Xenophontem omnia apte decurrunt. Contra apud Platonem in hac omissa daemonii intercessione nonnihil displicet.

I Suaviter confabulatur de daemonio quod columen accusationis erat.

II Narrat ea quae sunt interioris notitiae, qualia cum amicis eum communicasse magis credibile est quam apud iudices referre.

III Daemonium tum repugnare posse putatur cum repugnando nihil agere potest.

IV Separatim iudices alloquitur Socrates.

§ 3. B. De Apologiae commentatione et meditatione.

Apol. Xen. 3.

Οὐκ ἐχρῆν μέντοι σκοπεῖν, ὦ Σώκρατες, καὶ ὅ τι ἀπολογήσει; τὸν δὲ τὸ μὲν πρῶτον ἀποκρίνασθαι· Οὐ γὰρ δοκῶ σοι ἀπολογεῖσθαι μελετῶν διαβεβιωκέναι; ἐπεὶ δ' αὐτὸν ἐρέσθαι· Πῶς; Ὅτι οὐδὲν ἄδικον διαγεγένημαι ποιῶν· ἥνπερ νομίζω μελέτην εἶναι καλλίστην ἀπολογίας.

Apol. Plat. 17 B—C.

οὐ μέντοι μὰ Δία, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, κεκαλλιεπημένους γε λόγους, ὥσπερ οἱ τούτων, ῥήμασί τε καὶ ὀνόμασιν οὐδὲ κεκοσμημένους, ἀλλ' ἀκούσεσθε εἰκῇ λεγόμενα τοῖς ἐπιτυχοῦσιν ὀνόμασιν· πιστεύω γὰρ δίκαια εἶναι ἃ λέγω, καὶ μηδεὶς ὑμῶν προσδοκησάτω ἄλλως· οὐδὲ γὰρ ἂν δήπου πρέποι, ὦ ἄνδρες, τῇδε τῇ ἡλικίᾳ ὥσπερ μειρακίῳ πλάττοντι λόγους εἰς ὑμᾶς εἰσιέναι.

Apud Xenophontem Socrates imparatissimus, sine ulla commentatione, tanquam leo lacessitus surgit et *omnia causidicorum artificia spernens,* ex animi sententia suam de suis factis dictisque opinionem liberrime et superbe dicit. Socrates Platonicus non meditatus est *quomodo diceret,* reus ignarus et inscius causae dictionis et generis dicendi iudicialis (*ἀτεχνῶς οὖν ξένως ἔχω τῆς ἐνθάδε λέξεως* 17 E); *quid diceret* fortasse antea commentatus est. Hoc enim eum *non fecisse* disertis verbis *non legitur* apud Platonem. Neque tamen contra ex ullo verbo effici potest, antequam in iudicium veniret, eum quid diceret secum reputavisse. Hoc apud Platonem non liquet. Quod liquet hoc est: verba a nobis laudata (17 B—C) et 17 D omni fide carere. Tota Apologia Platonica huic simulationi repugnat. Est enim artificiosissime et membratim tractata et summa cum cura commentata oratio [1]). Artificia quoque causidicorum Socrati Platonico ignota non sunt [2])! Apol. 34 A suos testes adversario offert: *καὶ ἄλλους πολλοὺς ἐγὼ ἔχω ὑμῖν εἰπεῖν, ὧν τινὰ ἐχρῆν μάλιστα μὲν ἐν τῷ ἑαυτοῦ λόγῳ παρασχέσθαι Μέλητον μάρτυρα· εἰ δὲ τότε ἐπελάθετο, νῦν παρασχέσθω, ἐγὼ παραχωρῶ, καὶ λεγέτω, εἴ τι ἔχει τοιοῦτον* (ubi vid. SCHANZ qui in adnotatione nonnullos locos communes ex oratoribus congessit). Ipsa illa in initio Apologiae captatio benevolentiae decantatum artificium est. Quodsi quis hac de re plura etiam cognoscere vult, inspiciat

[1]) Vid. SCHANZ. Ed. Apologiae 67. ubi suam dispositionem Apologiae exhibet, aliorum commemorat.

[2]) Omnia nunc enumerare quae Plato in Apologia cum causidicis communia habet — Lysiam puta — neque necessarium neque meum duco. Paucos locos tamen indicabo (vid. SCHANZ adn.): Apol. 30 B *οὐδ' εἰ μέλλω πολλάκις τεθνάναι,* cf. Lys 12, 37 *οὐδὲ —— δὶς ἀποθανόντες δίκην δοῦναι δύναιντ' ἄν.*

Apol. 32 A *οὐ λόγους, ἀλλ' ὃ ὑμεῖς τιμᾶτε, ἔργα.*

cf. Lys. 1. 21 *ἐγὼ γὰρ οὐδὲν δέομαι λόγων, ἀλλὰ τὸ ἔργον φανερὸν γενέσθαι, εἴπερ οὕτως ἔχει.*

Apol. 32 E. *ἀξίως ἀνδρὸς ἀγαθοῦ ἐβοήθουν τοῖς δικαίοις.*

cf. Lys. 22. 3 *τοῖς νόμοις τοῖς κειμένοις ἐβοήθουν.*

Apol. 25 D: *ἀποκρίνου ὦ ἀγαθέ· καὶ γὰρ ὁ νόμος κελεύει ἀποκρίνεσθαι.* Talia apud Lys. 22. 5; 12, 25. ubi FROHBERGER in editione adnotat: Deinarch (I. 83) und Andokides (I. 101) benutzen diesen Brauch rhetorisch, und Sokrates in der platonischen Apologie (24 Dff.) macht daraus einen *förmlichen Dialog* mit Meletos.

dissertatiunculam ARTHURI LAUDIENII (Neue Jahrb. f. d. klass. Alt. u. f. Paed. 1914. XXXIV. pag. 180.) qui demonstravit, vel demonstrare conatus est, permulta Platonem in Apologia cum Lysiae oratione XIIa contra Eratosthenem communia habere, non quidem Platonem totum ex Lysia pendere, sed tamen identidem locos consimiles in Apologia legi. Platonis autem argumentationes saepe causarum patronos redolere. Addit vir prudens: „natürlich ist Platon nicht ganz aus Lysias, einem rhetorischen Handbuch oder dergl. abzuleiten''.

Igitur non credere possumus Socrati Platonico affirmanti et asseveranti se plane hospitem esse in re iudiciaria, neque viro docto H. MAIER (l. l. 476) qui eadem quae Socr. Plat. dixit: Advokatenkniffe und Rührszenen verboten sich ihm von selbst (!) Er wollte auch nicht durch rhetorische Kunst — den gewünschten Effekt erzielen e. q s.

§ 4. C. De misericordia movenda.

Apol. Xen. 4.

πολλάκις δὲ ἀδικοῦντας ἢ ἐκ τοῦ λόγου οἰκτίσαντες ἢ ἐπιχαρίτως εἰπόντας ἀπέλυσαν.

Apol. Plat. 34 C—35 C.

τάχα δ' ἄν τις ὑμῶν ἀγανακτήσειεν ἀναμνησθεὶς ἑαυτοῦ, εἰ ὁ μὲν καὶ ἐλάττω τουτουΐ τοῦ ἀγῶνος ἀγωνιζόμενος ἐδεήθη τε καὶ ἱκέτευσε τοὺς δικαστὰς μετὰ πολλῶν δακρύων, παιδία τε αὑτοῦ ἀναβιβασάμενος, ἵνα ὅτι μάλιστα ἐλεηθείη, καὶ ἄλλους τῶν οἰκείων καὶ φίλων πολλούς, ἐγὼ δὲ οὐδὲν ἄρα τούτων ποιήσω, κ. τ. λ.

35 B. τὰ ἐλεεινὰ ταῦτα δράματα.

38 D. ἀπορία μὲν ἑάλωκα οὐ μέντοι λόγων, ἀλλὰ τόλμης καὶ ἀναισχυντίας καὶ τοῦ μὴ ἐθέλειν λέ-

γειν πρὸς ὑμᾶς τοιαῦτα οἷ' ἂν ὑμῖν ἥδιστ' ἦν ἀκούειν θρηνοῦντός τέ μου καὶ ὀδυρομένου καὶ ἄλλα ποιοῦντος καὶ λέγοντος πολλὰ καὶ ἀνάξια ἐμοῦ, ὡς ἐγώ φημι.

Haec apud Xenophontem in colloquio cum optimo amico, apud Platonem ante iudices dicuntur. Aut alteruter mentitus est, aut bis haec dicta sunt.

Demiror iudices apud Platonem talia ferre. Apud Xenophontem quidem magno cum tumultu Socrates semet ipse extollit. Hic ipsis iudicibus Socrates Platonicus obicit et exprobrat eos lacrimis, adulatione, tanquam honoribus ffectos, officio suo deesse; nulla tumultus mentione facta quiete et otiose haec disseruit!

Qui autem saepe aut iam mentitus est aut sibi constanter non dixit, dignus non videtur cui hac in re fidem habeamus. Quod si Socrates verba istaec Hermogenis non iterasse putandus est, animum potius inclinamus ut credamus Platonem e Xenophontis scripto haec verba in suam Apologiam transtulisse.

§ 5. D. De morte potiore.

Apol. Xen. 5.

Ἦ θαυμαστὸν νομίζεις, εἰ καὶ τῷ θεῷ δοκεῖ ἐμὲ βέλτιον εἶναι ἤδη τελευτᾶν;

Apol. 7.

ἴσως δέ τοι, φάναι αὐτόν, καὶ ὁ θεὸς δι' εὐμένειαν προξενεῖ μοι οὐ μόνον τὸ ἐν καιρῷ τῆς ἡλικίας καταλῦσαι τὸν βίον, ἀλλὰ καὶ τὸ ᾗ ῥᾷστα.

Apol. Plat. 41 C.

οὐκ ἔστιν ἀνδρὶ ἀγαθῷ κακὸν οὐδὲν οὔτε ζῶντι οὔτε τελευτήσαντι, οὐδὲ ἀμελεῖται ὑπὸ θεῶν τὰ τούτου πράγματα· οὐδὲ τὰ ἐμὰ νῦν ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου γέγονεν, ἀλλά μοι δῆλον ἐστι τοῦτο, ὅτι ἤδη τεθνάναι καὶ ἀπηλλάχθαι πραγμάτων βέλτιον ἦν μοι.

Apol. 8.
ὀρθῶς δὲ οἱ θεοὶ τότε μου ἠναντιοῦντο.
Apol. 8.
ἀντὶ τοῦ ἤδη λῆξαι τοῦ βίου.
Apol. 22.
Καιρὸν ἤδη ἐνόμιζεν ἑαυτῷ τελευτᾶν.
Apol. 33.
ἐπεὶ γὰρ ἔγνω τοῦ ἔτι ζῆν τὸ τεθνάναι αὐτῷ κρεῖσσον εἶναι κ. τ. λ.

Quaeritur quam ob causam *eo potissimum tempore* mors potior fuerit? (Xen. ἤδη τελευτᾶν, τὸ τεθνάναι κρεῖσσον. Plat. ἤδη τεθνάναι) Illud ἤδη enim hic cardo rerum est. Cur nunc potissimum? Unum responsum dari potest, id quod apud Xenophontem legimus.

Senex erat (Apol. Xen. 6. q. s.). Incommoda et mala senectutis instabant: νῦν δὲ εἰ ἔτι προβήσεται ἡ ἡλικία, οἶδ' ὅτι ἀνάγκη ἔσται τὰ τοῦ γήρως ἀποτελεῖσθαι καὶ ὁρᾶν τε χεῖρον καὶ ἀκούειν ἧσσον καὶ δυσμαθέστερον εἶναι καὶ ὧν ἔμαθον ἐπιλησμονέστερον (Socrati nimis aliena ut patet ex Nubibus Aristophanis 646, 629), ἢν δὲ αἰσθάνωμαι χείρων γιγνόμενος καὶ καταμέμφωμαι ἐμαυτόν, πῶς ἄν, εἰπεῖν, ἐγὼ ἔτι ἂν ἡδέως βιοτεύοιμι;

Platoni autem nimis sordida haec causa erat et vulgaris, pro qua igitur nobis aliam substituit quae magis philosophum decet. Apol. 40 B. κινδυνεύει γάρ μοι τὸ ξυμβεβηκὸς τοῦτο ἀγαθὸν γεγονέναι, καὶ οὐκ ἔσθ' ὅπως ἡμεῖς ὀρθῶς ὑπολαμβάνομεν, ὅσοι οἰόμεθα κακὸν εἶναι τὸ τεθνάναι Quid hoc loco legimus? Unicuique, non Socrati soli, mortem bonum esse. Valde philosophice haec sonant! Quibus firmissimis argumentis haec sententia nitatur, iam vidimus et postea denuo videbimus. Nunc tantum hoc statuamus necesse est apud Platonem nobis narrari cur Socrati — et in universum cunctis hominibus — mors potior fuerit, non autem quo factum

sit ut *eo ipso potissimum tempore* mori ei melius esset. Quidni aliquot etiam annos vivere potuit?

Vera causa quam Xenophon refert a Platone non premitur, uno et altero loco tamen dilucet e. g. 38 C. εἰ οὖν περιεμείνατε ὀλίγον χρόνον ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου ἂν ὑμῖν τοῦτο ἐγένετο· ὁ ρ ᾶ τ ε γ ὰ ρ δ ὴ τ ὴ ν ἡ λ ι κ ί α ν, ὅτι π ό ρ ρ ω ἤ δ η ἐ σ τ ὶ τ ο ῦ β ί ο υ, θ α ν ά τ ο υ δ ὲ ἐ γ γ ύ ς. Quae verba mire congruunt cum iis quae legimus in Xenophontis Memorabilium IV. 8. 1: ἐννοησάτω πρῶτον μέν, ὅτι οὕτως ἤδη τότε π ό ρ ρ ω τ ῆ ς ἡ λ ι κ ί α ς ἦν ὥστ᾽ εἰ καὶ μὴ τότε, ο ὐ κ ἂ ν π ο λ λ ῷ ὕ σ τ ε ρ ο ν τ ε λ ε υ τ ῆ σ α ι τ ὸ ν β ί ο ν.

Πράγματα illa (41 D. Apol. Plat.) praeterea aut sunt *incommoda senectutis*, et ex Xenophonte solum intellegere possumus hunc locum, aut novum aliquid hic legimus, scil. Socratem *queri de vita*. Vita sancto homini deorum gravi ministerio fungenti onus visa est! Attamen illud ἐξετάζειν καὶ διαλεγέσθαι καὶ ξυνεῖναι apud inferos ἀμήχανον ἂν εἴη εὐδαιμονίας 41 C. Quidni in terra quoque hoc ei erat iucundissimum?

In Phaedone autem 117 A ipse Plato totidem verbis affirmat iam nihil Socratis vitae inesse — e Xenophonte supplendum — nisi incommoda: γλιχόμενος τοῦ ζῆν καὶ φειδόμενος οὐδένος ἔτι ἐνόντος.

Item Criton 53 E. ὅτι δὲ γέρων ἀνήρ, σμικροῦ χρόνου τῷ βίῳ λοιποῦ ὄντος, ὡς τὸ εἰκός, ἐτόλμησας οὕτω γλίσχρως ἐπιθυμεῖν ζῆν.

Socrates Platonicus quoque, ut opinor, κ α ι ρ ὸ ν ἤδη ἐνόμιζεν ἑαυτῷ τελευτᾶν, ut est apud Xen. Apol. 22.

Haec quoque fortasse Plato Xenophonti debere putandus est?

§ 6. E. Non quoquo modo damnationem esse effugiendam.

Xen. Apol. 8.	Apol. Plat. 38 D.
ὀρθῶς δὲ οἱ θεοὶ τότε μου ἠναντιοῦντο, φάναι αὐτόν, τῇ τοῦ λόγου ἐπισκέψει, ὅτε ἐ δ ό κ ε ι ὑ μ ῖ ν	ἴσως με οἴεσθε, ὦ ἄνδρες, ἀπορίᾳ λόγων ἑαλωκέναι τοιούτων, οἷς ἂν ὑμᾶς ἔπεισα, εἰ ᾤ μ η ν δ ε ῖ ν

ζητητέα εἶναι ἐκ παντὸς τρόπου τὰ ἀποφευκτικά. Apol. 22. τὸ δὲ μὴ ἀποθανεῖν, οὐκ ᾤετο λιπαρητέον εἶναι, ἀλλὰ καὶ καιρὸν ἤδη κ. τ. λ.	ἅπαντα ποιεῖν καὶ λέγειν ὥστε ἀποφυγεῖν τὴν δίκην. Apol. 38 E. οὔτε γὰρ ἐν δίκῃ οὔτ' ἐν πολέμῳ, οὔτ' ἐμέ οὔτ' ἄλλον οὐδένα δεῖ τοῦτο μηχανᾶσθαι, ὅπως ἀποφεύξεται πᾶν ποιῶν θάνατον. 39 A. καὶ ἄλλαι μηχαναὶ πολλαὶ εἰσιν ἐν ἑκάστοις τοῖς κινδύνοις ὥστε διαφεύγειν θάνατον, ἐάν τις τολμᾷ πᾶν ποιεῖν καὶ λέγειν. 37 C. πολλὴ μεντἄν με φιλοψυχία ἔχοι κ. τ. λ.

Praeterea cum illo λιπαρητέον apud Xen. componendum e Phaedone 117 A γλιχόμενος τοῦ ζῆν, et ex Critone 53 E γλίσχρως ἐπιθυμεῖν ζῆν.

Meminerimus quoque hac in re apud Xenophontem verba dicta esse in colloquio cum amico; neque enim in litis aestimatione haec eius de morte non quoquo modo effugienda sententia iterata est, sed *factis* confirmata (ὅτι δὲ οὕτως ἐγίγνωσκε, καταδηλότερον ἐγίγνετο, ἐπειδὴ ἡ δίκη κατεψηφίσθη, ex eius responsis acerbe et ironice dictis!). E contrario apud Platonem *post damnationem* Socrates summa cum familiaritate, summaque cum benevolentia contra eam partem iudicum qui eum condemnaverunt quasi quidem ἀρετάλογος (vid. 38 E, 39 A) ita disseruit, idque sine ulla indignatione (38 B ταῦτα μέν που ἴσως οὕτως καὶ ἔδει σχεῖν καὶ οἶμαι αὐτὰ μετρίως ἔχειν.), sed aequo animo ut virum divinum decet!

Suspicor non bis Socratem de damnatione effugienda ita disseruisse, alterutrum ergo, aut Xenophontem, aut Platonem mentiri, et alterius vel tertii scriptoris scriptum vel famam et de Socrate sermunculos urbanos secutum esse et in suum usum convertisse.

§ 7. F. De libertate loquendi.

Xen. Ap, 9.

μά Δί', εἰπεῖν αὐτόν, ὦ Ἑρμόγενες, ἐγὼ ταῦτα οὐδὲ προθυμήσομαι, ἀλλ' ὅσων νομίζω τετυχηκέναι καλῶν καὶ παρὰ θεῶν καὶ παρ' ἀνθρώπων καὶ ἣν ἐγὼ δόξαν ἔχω περὶ ἐμαυτοῦ, ταύτην ἀναφαίνων εἰ βαρυνῶ τοὺς δικαστάς, αἱρήσομαι τελευτᾶν μᾶλλον ἢ ἀνελευθέρως τὸ ζῆν ἔτι προσαιτῶν κερδᾶναι τὸν πολὺ χείρω βίον ἀντὶ θανάτου.

Apol. Plat. 38 E.

ἀλλ' οὔτε τότε ᾠήθην δεῖν ἕνεκα τοῦ κινδύνου πρᾶξαι οὐδὲν ἀνελεύθερον οὔτε νῦν μοι μεταμέλει οὕτως ἀπολογησαμένῳ ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον αἱροῦμαι ὧδε ἀπολογησάμενος τεθνάναι ἢ ἐκείνως ζῆν.

Apud utrumque scriptorem eadem sententia isdem fere vel similibus verbis. Igitur bis haec ita a Socrate dicta? Non credo. Quid igitur?

Nobis tota Apologia Plat. (quamquam nonnulla exhibet quae re vera a Socrate ante iudices dicta esse videntur) opus fictum est; tertia et extrema pars huius pulcherrimi scripti (38 C—ad finem), satis longa et contemplationum sapientissimarum plena, acerrimo quoque Apologiae Plat. propugnatori v. WILAMOWITZ (apud WETZEL l.l. pag. 390 in adnotatione) commenticia videbatur (contra vehementer errare — „arge Verirrung" — dicit eos qui totam Apologiam opus confictum habent). Haec quoque verba modo laudata (38 E) ecquid nobis eiusmodi indicium praebent?

Verbum αἱρήσομαι apud Xenophontem suam sibi vim habet: si iudices me libere meam de me sententiam aperire moleste ferent, non *retinebor (futuro tempore!)* nimio vitae amore quin ita ut institui loqui pergam. Contra apud Platonem haec *post* damnationem dicta sunt, cum arbitrium eligendi non iam ei restaret (πολὺ μᾶλλον αἱροῦμαι). Actum enim est, quod ipse paulo post confitetur: 39 B. ἐγὼ μὲν ἅτε βραδὺς ὢν καὶ πρεσβύτης ὑπὸ τοῦ βραδυτέρου ἑάλων.

Quod dicendi vitium admodum leve e Xenophonte solum illustrari potest. *Ex imitatione levi macula Plato in enuntianda sententia respersus est.*

Sunt autem plura. In verbis e Platone allatis contaminatae videntur esse duae sententiae quarum utraque separata extat apud Xenophontem, altera scil. quam attulimus § 9, altera quae legitur §§ 24–26, ubi Socrates ait se non paenitere libertatis loquendi, *ἐμοὶ δὲ τί προσήκει νῦν μεῖον φρονεῖν ἢ πρὶν κατακριθῆναι;* 26. *ἀλλ' οὐδὲ μέντοι ὅτι ἀδίκως ἀποθνήσκω, διὰ τοῦτο μεῖον φρονητέον·* (durum et superbum Socratem agnoscimus).

Apud Platonem haec sunt: *οὔτε νῦν μοι μεταμέλει.*

Lepidam similitudinem quoque deprehendimus in alio de supremis Socratis diebus scripto scil. in Phaedone, eodem loco ubi verba iam laudata leguntur, dico *οὐδενὸς ἔτι ἐνόντος* et *γλιχόμενος τοῦ ζῆν.*

Totus locus dignus qui describatur:

Εἰκότως γ', ἔφη, ὦ Κρίτων, ἐκεῖνοί τε ταῦτα ποιοῦσιν, οὓς σὺ λέγεις. οἴονται γὰρ κερδανεῖν ταῦτα ποιήσαντες, καὶ ἔγωγε ταῦτα εἰκότως οὐ ποιήσω· οὐδὲν γὰρ οἶμαι κερδαίνειν ὀλίγον ὕστερον πιὼν ἄλλο γε ἢ γέλωτα ὀφλήσειν παρ' ἐμαυτῷ, γλιχόνενος τοῦ ζῆν καὶ φειδόμενος οὐδενὸς ἔτι ἐνόντος.

Verbum illud *κερδαίνειν* Platoni in mente inhaesisse videtur cum Xenophontis scriptum perlegeret.

Postremo meminerimus in hoc cum Hermogene colloquio *τὴν μεγαληγορίαν διασαφηνιζέσθαι.* Haec propria et privatissima Xenophontis materies erat. Ita Xenophon suum *calculum* adiecit. Plato hac materia usus esse videtur vel abusus locis a nobis indicatis.

§ 8. PARS SECUNDA; ORATIO SOCRATIS.

A. De vocabulo quod est *φωνή.*

Quomodo apud utrumque scriptorem impietatis crimen refutetur in secundo capite iam vidimus, illam igitur partem orationis

hoc loco silentio praeterire possumus. Hoc tamen observandum est, in utriusque apologia vocabulum quod est φωνή cum daemonio coniungi. Apud Xen. Apol. § 12, qui locus a nobis in superiore capite iam laudatus est, et apud Plat. in Apol. 31 D: ἐμοὶ δὲ τοῦτ' ἐστὶν ἐκ παιδὸς ἀρξάμενον φωνή τις γιγνομένη κ. τ. λ.

Apud Xenophontem hoc vocabulum in comparatione illa premitur, et defensio magna ex parte hoc vocabulo nititur.

Apud Platonem in crimine impietatis refellenda nulla huius vocabuli mentio fit. Tum demum de daemonio tamquam de quadam voce loquitur, cum demonstrat illo daemonio se impediri, quominus ad rem publicam acccedat.

Apud Xenophontem Socrates in causa defendenda — *iusto ergo loco!* — de daemonio quod vox erat loquitur: apud Platonem in quaestione *aliena, de qua ipse disputare orsus esse* videtur cf. 31 C: Ἴσως ἂν οὖν δόξειεν ἄτοπον εἶναι, ὅτι δὴ ἐγὼ ἰδίᾳ μὲν ταῦτα ξυμβουλεύω κ. τ. λ. Neque enim hic verba adversarii vel adversariorum — plures enim locuti sunt, inter quos et testes fuerunt, ut opinor (cf. 17 B ὥσπερ οἱ τουτων) — laudat, utique hoc diserte non declarat et adverbium ἴσως et particula ἄν de incerta re eum nunc loqui docent.

Uter ergo hac quoque in re veriora nobis tradidisse putandus sit, difficile cognitu non est.

§ 9. B. De Chaerephontis itinere.

Xen. Apol. 14.

Ἄγε δὴ ἀκούσατε καὶ ἄλλα, ἵνα ἔτι μᾶλλον οἱ βουλόμενοι ὑμῶν ἀπιστῶσι τῷ ἐμὲ τετιμῆσθαι ὑπὸ δαιμόνων. Χαιρεφῶντος γάρ ποτε ἐπερωτῶντος ἐν Δελφοῖς περὶ ἐμοῦ πολλῶν παρόντων ἀνεῖλεν ὁ Ἀπόλλων μηδένα εἶναι

Plat Apol. 20 E.

τῆς γὰρ ἐμῆς, εἰ δή τίς ἐστιν σοφία καὶ οἵα, μάρτυρα ὑμῖν παρέξομαι τὸν θεὸν τὸν ἐν Δελφοῖς. Χαιρεφῶντα γὰρ ἴστε που. οὗτος ἐμός τε ἑταῖρος ἦν ἐκ νέου, καὶ ὑμῶν τῷ πλήθει [ἑταῖρός τε καὶ] ξυνέφυγε τὴν φυγὴν ταύτην

ἀνθρώπων ἐμοῦ μήτε ἐλευθεριώτερον μήτε δικαιότερον μήτε σωφρονέστερον.

καὶ μεθ' ὑμῶν κατῆλθε. καὶ ἴστε δὴ οἷος ἦν Χαιρεφῶν, ὡς σφοδρὸς ἐφ' ὅ τι ὁρμήσειεν. καὶ δή ποτε καὶ εἰς Δελφοὺς ἐλθὼν ἐτόλμησε τοῦτο μαντεύσασθαι· καί, ὅπερ λέγω, μὴ θορυβεῖτε, ὦ ἄνδρες· ἤρετο γὰρ δή, εἴ τις ἐμοῦ εἴη σοφώτερος. ἀνεῖλεν οὖν ἡ Πυθία μηδένα σοφώτερον εἶναι.

Prius quaeritur num re vera Chaerephon Delphos iter fecerit et oraculum consuluerit: deinde utri scriptori magis credendum sit. Illud pro certo efficere non possumus. Quae autem auctoritatem et fidem huic narrationi afferunt, haec fere sunt:

1) Et Xenophon et Plato huius Pythiae responsi memoriam nobis tradiderunt, quae duplex memoria de Chaerephonte Delphos iter faciente parvi facienda non est.

2) Socrates Platonicus non sine aliqua ostentatione testimonium fratris mortui Chaerephontis iudicibus denuntiavit *digito monstrans*: καὶ τούτων πέρι ὁ ἀδελφὸς ὑμῖν οὑτοσὶ μαρτυρήσει, ἐπειδὴ ἐκεῖνος τετελεύτηκεν.

3) *Cardo rerum* et *fundamentum* totius Apologiae Platonicae est, quod statim proruetur, si sumemus hoc oraculum a Pythia non editum esse. Recte igitur, ut opinor, H. Maier l.l. pag. 112: „In der Tat würde dem Gedankenspiel Platos das Rückgrat ausgebrochen, wenn man die Erzählung von dem Orakelspruch für eine Fiktion halten wollte."

4) Sphaerus Bosporanus (Diog. Laert. VII. 178), qui auditor Zenonis erat et vivebat aetate Cleomenis, regis Spartanorum, tria volumina scripsit περὶ Λυκούργου καὶ Σωκράτους. Suspicor iam inde a Socratis defensione haec duo nomina sic coniunctim legi, ipsi Socrati hanc comparationem deberi, quippe qui ante iudices semet ipsum si non parem attamen similem Lycurgo nominaret, vid. Xen. Apol. 15: Ἀλλὰ μείζω μέν, ὦ ἄνδρες, εἶπεν ὁ θεὸς ἐν χρησμοῖς περὶ Λυκούργου τοῦ Λακεδαιμονίοις νομοθετήσαντος ἢ περὶ ἐμοῦ· λέγεται γὰρ εἰς τὸν ναὸν εἰσιόντα προσειπεῖν αὐτόν· Φροντίζω,

πότερα θεόν σε εἴπω ἢ ἄνθρωπον. ἐμὲ δὲ θεῷ μὲν οὐκ εἴκασεν, ἀνθρώπων δὲ πολλῷ προέκρινεν ὑπερφέρειν.

Ex Herodoto I. 65 patet hoc de Lycurgo oraculum omnibus notum fuisse Apud Platonem non legitur neque vero erat Socratis Platonici, qui invitus, timide et pedetemptim hoc consilium temerarium atque facinus audax Chaerephontis cum iudicibus communicat, suam verecundiam et modestiam eiusmodi superba comparatione inficere atque abolere.

Contra scriptores posteriores fidem impugnant. Scholiasta ad Nubes 144, oraculum commemorans hunc in modum:

σοφὸς Σοφοκλῆς, σοφώτερος δ' Εὐριπίδης,
ἀνδρῶν δὲ πάντων Σωκράτης σοφώτατος,

contra Apollonium Molonem, qui ἐν τῷ κατὰ φιλοσόφων ἐψεῦσθαι contendit illud oraculum, — τοὺς γὰρ Πυθικοὺς χρησμοὺς ἑξαμέτρους εἶναι —, demonstrat alia oracula extare versibus trimetris.

Apud Diogenem Laert. II. 37 oraculum uno tantum versu constat: Ἀνδρῶν ἁπάντων Σωκράτης σοφώτατος.

Alii quoque, praeter Apollonium, dubitant, utrum re vera hoc oraculum editum sit necne, Colotes apud Plut. adv. Col. 1116 e, Athenaeus V 218 e, qui totam narratiunculam ludibrio habet; de Athenaeo autem paulo post videbimus.

Nos libenter cum Zellerio arbitramur responsum Pythiae, quale apud scholiastam, apud Suidam sub voce σοφός, apud Diog. Laert. II 37, legitur, non esse verum oraculum sed postea fictum (Zeller, Philos. d. Griech II[4] 52[4]: die Iamben, welche angeblich diesen Spruch enthalten, bei Diog. Laert. II. 37. und Suidas σοφὸς, sind natürlich später).

Nunc autem rogamus utri scriptori magis fides habenda sit, uter magis veritati convenienter omnia quae ad oraculum pertinent memoriae prodiderit.

Moneo apud Platonem Chaerephontem disertis verbis Pythiam consuluisse an quisquam Socrate *sapientior* esset: ἤρετο γὰρ δὴ εἴ τις ἐμοῦ εἴη σοφώτερος.

Hic Athenaeus V. 218 e recte observat Socratem nullius sapientiae, ut aiebat, sibi conscium fuisse; neque credibile esse hoc

Chaerephonti, optimo amico, ignotum fuisse; mirari se igitur, quid causae fuerit, quod iter Delphos faceret et de *sapientia* Socratis Apollinem consuleret; αὐτὸς γὰρ ἦν ἀξιόπιστος ὑπὲρ αὐτοῦ λέγων ὡς οὐκ ἔστι σοφός.

Nobis autem hac de quaestione interrogantibus Platonem responsum statim dabitur et, quam verissime poterit, nobis hanc difficultatem libentissime expediet? Non ita. Quo factum sit ut sodalis hominis nihil scientis de eiusdem hominis *sapientia* oraculum Apollinis consuluerit, nusquam explicatur. At alia difficultate afficimur. Ipse Apollo declarat illum hominem, qui nullius scientiae vel sapientiae sibi conscius est, omnium sapientissimum esse. Homo miser secum reputat, quid sibi velit illud oraculum, Apol. Plat. 21 B τί ποτε λέγει ὁ θεός, καὶ τί ποτε αἰνίττεται; ἐγὼ γὰρ δὴ οὔτε μέγα οὔτε σμικρὸν ξύνοιδα ἐμαυτῷ σοφὸς ὤν. Attamen mentiri oraculo fas non est. Quid igitur? Diu dubitat, aegre et vix tandem aliquando aliquid invenit. Explorare oraculum, immo redarguere parat. Atque hinc incipit exploratio illa et hominum interrogatio. Quae quamdiu eum tenuerit nescimus. Utique in tria genera hominum inquisivit. Neminem se sapientiorem invenit et difficultas tunc soluta erat: deus hominibus demonstrare voluit sapientissimum esse, ὅστις ὥσπερ Σωκράτης ἔγνωκεν ὅτι οὐδενὸς ἄξιός ἐστι τῇ ἀληθείᾳ πρὸς σοφίαν. Nihilominus *pergit* explorare atque investigare homines. Hoc mirum, et ut aperte dicamus, verba: ταῦτ' οὖν ἐγὼ μὲν ἔτι καὶ νῦν περιὼν ζητῶ καὶ ἐρευνῶ κατὰ τὸν θεόν, mihi videntur esse admodum simplicia atque languida nec non ea quae sequuntur sc. deo auxilium ferre Socratem, cum demonstrat neminem esse sapientem.

Cognita oraculi sententia refutare verba dei non iam opus est, 21 C. ἐλέγξων τὸ μαντεῖον καὶ ἀποφανῶν τῷ χρησμῷ ὅτι οὑτοσὶ ἐμοῦ σοφώτερός ἐστιν, σὺ δ' ἐμὲ ἔφησθα. *At nunc* interrogat homines *ut novum illud euangelium praedicet* (23 B τῷ θεῷ βοηθῶν ἐνδείκνυμαι ὅτι οὐκ ἔστι σοφός), de summo gradu sapientiae (οὗτος ὑμῶν, ὦ ἄνθρωποι, σοφώτατός ἐστιν, ὅστις ὥσπερ Σωκράτης ἔγνωκεν ὅτι οὐδενὸς ἄξιός ἐστι τῇ ἀληθείᾳ πρὸς σοφίαν, 23 B).

Consilium, quo explorat et inquirit in homines, nunc nonnihil *mutatum* esse videmus. Praeterea nobis displicet sic toti philo-

sophiae Socraticae nihil sapientiae inesse. Alibi autem demonstrabimus hanc sapientiae dissimulationem non esse veri Socratis, utique non omnibus semper dissimulatorem eum fuisse [1]). Neque ministerium dei *aliis in dialogis* neque apud Platonem, neque apud Xenophontem causa investigandi est atque inquirendi in homines.

Iam satis est. Vestigia atque indicia, quae demonstrant conficta esse haec omnia, deprehendimus, neque sine voluptate quadam legimus apud Schanzium in adnotatione l. l. 143.[3], ubi verba interpretatur: *καὶ φαίνεται τοῦτ' οὐ λέγειν τὸν Σωκράτη κ. τ. λ.* „Durch die ganze Deduktion erhalten wir zugleich einen Wink, dass die Angabe, dass Sokrates, weil er das Orakel prüfen wollte, zum *ἐξετάζειν* gelangt sei, eine Fiktion ist". Multis criminibus convincere reum opus non est. De suo excogitavisse Platonem et commenticia esse haec, quae de exploratione hominum legimus, vulgo creditur. Maximum crimen iam Zeller l. l. II[4].52[1] recte profert: „Mag aber auch Sokrates dieses wirklich gesagt haben, wie er es denn im wesentlichen ohne Zweifel gesagt hat, so sieht man doch aus seiner Erzählung selbst, dass seine philosophische Thätigkeit nicht erst von dem Ausspruch der Pythia herstammt; denn wie wäre sonst Chärephon zu seiner Frage, und das Orakel zu seiner Antwort gekommen? Die letztere setzt voraus, dass Sokrates schon eine sehr bekannte Persönlichkeit war. Wenn er daher in der Apologie die Sache so darstellt, als sei er erst durch den delphischen Gott zu seiner Menschenprüfung veranlasst worden, so ist diess eine rednerische Wendung." Idem Schanz l. l. 73.

Huic clarissimorum virorum sententiae libenter assentior. Unum autem nobis minus probari potest sc. ultima verba „eine rednerische Wendung".

---

[1]) Neque possumus non mirari nostrum Socratem, qui ad summum gradum(!) sapientiae pervenit, nihilominus habere notitiam quandam et scientiam virtutis et veri, vid. 29 D E, 30 A. B. *λέγων οἷάπερ εἴωθα, ὅτι ὦ ἄριστε ἀνδρῶν, Ἀθηναῖος ὤν, πολέως τῆς μεγίστης καὶ εὐδοκιμωτάτης εἰς σοφίαν καὶ ἰσχύν, χρημάτων μὲν οὐκ αἰσχύνει ἐπιμελούμενος, ὅπως σοι ἔσται ὡς πλεῖστα, καὶ δόξης καὶ τιμῆς, φρονησεως δὲ καὶ ἀληθείας καὶ τῆς ψυχῆς, ὅπως ὡς βελτίστη ἔσται, οὐκ ἐπιμελεῖ οὐδὲ φροντίζεις; —— καὶ ἐάν μοι μὴ δοκῇ κεκτῆσθαι ἀρετήν, ὀνειδιῶ — λέγων ὅτι οὐκ ἐκ χρημάτων ἀρετὴ γίγνεται, ἀλλ' ἐξ ἀρετῆς χρήματα καὶ τἆλλα ἀγαθὰ τοῖς ἀνθρώποις ἅπαντα καὶ ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ.*

Quid et quale illa virtus Socratis sententia fuerit, dicere non possum.

Sunt enim viri docti qui arbitrari videantur hoc ministerium dei (τὴν τῷ θεῷ ὑπηρεσιάν, τὴν τοῦ θεοῦ λατρείαν) a Platone inventum quidem esse atque excogitatum, non autem extra iocum illa omnia dici, neque Platonem voluisse ut serio haec acciperemus; Atheniensibus, imprimis iis qui Socratem condemnavissent, sic tantummodo vehementissime atque contumeliosissime ludibrio atque irrisui habuisse. H. MAIER l. l. 113 scripsit: „Der grosse Spötter hat sich schwerlich den Spasz entgehen lassen, seinen lieben Landsleuten vorzuhalten: seht, euer verruchter Religionsfrevler erfreut sich des besonderen Wohlwollens des delphischen Gottes [1]). Plato aber treibt die Ironie noch beträchtlich weiter. Er tut, als wäre die ganze Tätigkeit des Sokrates einzig und allein darauf ausgegangen, sich von dem Nichtwissen seiner Mitmenschen zu überzeugen, und gibt der Sache nun eine ganz andere Wendung. Hat der Gott diese Wirksamkeit des Sokrates sanktioniert, so hat er für dieselbe die Verantwortung übernommen. An Stelle der moralischen Verantwortlichkeit aber unterschiebt Plato die reale Urheberschaft. Kurz, er führt gerade die verabscheute und gefürchtete Dialektik des Sokrates auf eine Weisung des Orakels zurück. *Das heiszt den Hohn so stark auftragen, dasz auch das blödeste Auge ihn merken musz*".

Non ignoro Socratis verba saepe etiam in Apologia Plat. plena esse ironiae atque dissimulationis. In primo autem iam capite demonstravimus totum hoc mandatum non eam potissimum ob causam esse inventum ut Atheniensibus insultaret Plato, sed ut magistrum suum magna cum pietate, quasi quendam divinum hominem, depingere posset. Attulimus locos ex quibus appareret magna cum gravitate loqui Socratem de hoc ministerio, ita ut tragicum dolorem sentire nobis videremur. E. g. in praeclaro illo loco, qui incipit 29 C., mihi persuadere non possum non serio et ex animi sententia haec esse dicta: Ἐγὼ ὑμᾶς, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἀσπάζομαι μὲν καὶ φιλῶ, πείσομαι δὲ μᾶλλον τῷ θεῷ ἢ ὑμῖν, καὶ ἕωσπερ ἂν ἐμπνέω καὶ οἷός τε ὦ, οὐ μὴ παύσωμαι φιλοσοφῶν κ. τ. λ. Et in his quoque verbis ironiam frustra quaero: ταῦτα γὰρ κελεύει ὁ

[1]) Id ipsum nobis Xenophon exhibet, ironia autem et iocis remotis!

θεός, εὖ ἴστε, καὶ ἐγὼ οἶμαι οὐδέν πω ὑμῖν μεῖζον ἀγαθὸν γενέσθαι ἐν τῇ πόλει ἢ τὴν ἐμὴν τῷ θεῷ ὑπηρεσίαν (30 A).

Ipse totidem verbis respondet iis qui putant ironice haec omnia de deorum mandato dici: 37 E. τουτὶ δή ἐστι πάντων χαλεπώτατον πεῖσαί τινας ὑμῶν, ἐάν τε γὰρ λέγω ὅτι τῷ θεῷ ἀπειθεῖν τοῦτ' ἐστὶν καὶ διὰ τοῦτ' ἀδύνατον ἡσυχίαν ἄγειν, οὐ πείσεσθέ μοι ὡς εἰρωνευομένῳ Vid. praeterea 23 A, 24 A, 31 C, 28 A, 33 A, imprimis 41 C.

Excedere modum H. MAIER mihi videtur [1]. Non tam Atheniensibus insultat quam magistrum extollit. Hoc enim ei maximi momenti erat.

At dixerit aliquis: unde fieri potuit ut Socrates Platoni divinitus in homines immissus videretur? In priore capite demonstravimus totam Socratis vitam a deo gubernari per daemonium. Hanc dei curam Platonis inventioni atque cogitationi ansam praebuisse suspicor, hanc eum ita in maius exaggerasse et cum oraculo conglutinasse, ut eam, quam novimus, imaginem Socratis, amplificatam pulcherrime, civibus suis praebere posset; inde igitur Socratis divinitatem originem traxisse.

Horum omnium apud Xenophontem nihil, neque ibi legimus Chaerephontem oraculum de sapientia Socratis consuluisse. X. ἐπερωτῶντος ἐν Δελφοῖς περὶ ἐμοῦ, nihil aliud. Quocum hoc quoque coniungendum, apud Xenophontem non solum Socratis sapientiam laudari, sed etiam alias virtutes: μηδένα εἶναι ἐλευθεριώτερον, μήδε δικαιότερον μήτε σωφρονέστερον. Non solum verba — Socratis disputantis et διαλεγομένου — sed etiam eius facta (et omnino qualis in vita) laudantur. Platoni Socrates disceptans et disserens magis cordi erat. Plato Socratem verbo tenus, ut diximus, sequebatur et imitabatur. *Vitam eius imitari non sustinuit* (vid. prim. cap.). Rectissime ergo SCHANZ l. l. 79: „Bei Plato wird Sokrates

---

[1]) Item pag. 111: die Verteidigung gestaltet sich zu einer scharfen, von höhnender Ironie durchzogenen Anklage. Aber aus der Wolke von Spott und Satire tritt schlieszlich (?) doch sieghaft die Gestalt des Sokrates hervor, wie sie dem treuen Jünger vor der Seele steht.

durch die Pythia nur nach der intellektuellen Seite, bei Xenophon der ganze Sokrates charakterisiert."

Neque dubitamus quin oraculum apud Xenophontem melius servatum sit.

Postremo verba *πολλῶν παρόντων ἀνεῖλεν ὁ Ἀπόλλων* fortasse coniungenda sunt cum testimonio Chaerecratis Plat. Apol. 21 A. Fratremne frater comitatus est?

§ 10. C. De libello accusatorum.

Apol. Xen. 10.	Apol. Plat. 24 B.
οὕτως δὲ γνόντα αὐτόν ἔφη, ἐπειδὴ κατηγόρησαν αὐτοῦ οἱ ἀντίδικοι, ὡς οὓς μὲν ἡ πόλις νομίζει θεοὺς οὐ νομίζοι, ἕτερα δὲ καινὰ δαιμόνια εἰσφέροι καὶ τοὺς νέους διαφθείροι, παρελθόντα εἰπεῖν.	— *λάβωμεν αὖ τὴν τούτων ἀντωμοσίαν. ἔχει δέ πως ὧδε· Σωκράτη φησὶν ἀδικεῖν τούς τε νέους διαφθείροντα καὶ θεοὺς οὓς ἡ πόλις νομίζει οὐ νομίζοντα, ἕτερα δὲ δαιμόνια καινά.*

Inter similia numerandum est hoc quoque, quod uterque scriptor, cum ad refutationem perventum sit, accusationem praemittit. Apud Xenophontem ipse scriptor eam commemorat, apud Platonem reus. Illud mirandum non est; hoc fortasse displicere potest.

Vulgo enim, ut opinor, rei non solebant iudicibus crimina, quasi ignota essent, in memoriam redigere. Id ipsum igitur iam suspicionem movere potest. Magis autem hoc decet scriptorem *posteriorem*, qualis Plato erat, qui in apologia liberius composita ad *aequales* se convertebat, ut docerentur lectores quaenam illa accusatio esset. Et haec fortasse causa erat quod ea defensioni tota insereretur. Praeterea huic criminum commemorationi novitatem adimebat, ita ut non insolita neque inusitate videretur, hoc, quod antecedebat altera accusatio ab ipso reo verbis conceptis composita quasi quoddam iuramentum partium 19 B: *ὥσπερ οὖν κατηγόρων τὴν ἀντωμοσίαν δεῖ ἀναγνῶναι αὐτῶν· Σωκράτης ἀδικεῖ καὶ περιεργάζεται ζητῶν τά τε ὑπὸ γῆς καὶ οὐράνια, καὶ τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιῶν, καὶ ἄλλους ταὐτὰ ταῦτα διδάσκων· τοιαύτη τίς ἐστιν.* Ea quoque,

quae videtur a Platone tota *extra causam* additam esse, aequales certiores facere debebat de ira deque animo infesto, quem multi Athenienses iniuria in Socratem gerebant.

Nunc autem ad aliam quaestionem transibimus.

Videmus apud scriptores nostros crimina non eodem modo, eodem ordine enumerari. *Uter ordinem immutavit?* Auxilio nobis venit Diogenes Laertius II. 40 qui Favorino auctore servavit, quae Athenis in actis iudicum, ut ita dicam, relata erant. Accusatio hisce verbis constabat [1]): *ἀδικεῖ Σωκράτης, οὓς μὲν ἡ πόλις νομίζει θεοὺς οὐ νομίζων, ἕτερα δὲ καινὰ δαιμόνια εἰσηγούμενος· ἀδικεῖ δὲ καὶ τοὺς νέους διαφθείρων.*

Utrum igitur de Xenophonte an de Platone haec dissimilitudo, quam modo memoravimus, nos addubitare cogat, haud difficile cognitu est. Hac quoque in re Xenophontis fides historica manet intacta. Accedit quod in Mem. I. 1. 1. non sicut in Apol. oratione obliqua, sed oratione recta, praeter unum verbum eadem legimus quae apud. Diog. L. Deinde et in Apol. Xen. et in Mem. crimina eodem ordine refutantur, primum crimen impietatis, deinde crimen iuvenum corruptorum.

Socratem autem Platonicum liberius loqui neque accurate verba libelli referre iam statim monemur verbis: *ἔχει δέ πως ὧδε.* Quid dicendum est de reo qui criminum ordinem invertit? Quid autem de reo qui tam negligenter de ipsa accusatione loquitur? Haud ita difficile erat verba libelli, quae breviter concepta erant, retinere memoria. Magis credibile est ea verba penitus in mente inhaesisse reo, qui iure iurando interposito *ἐν τῇ ἀντωμοσίᾳ* contenderat falsam esse eam accusationem. Talis igitur locutio — *ἔχει δέ πως ὧδε* —, quae specie nullius momenti esse videtur, re vera nos monet sequi aliquid falsum et commenticium. Nobis indicium est: „equo ne credamus, aliquis latet error." Suspicor enim *de consulto* criminum ordinem immutatum esse. Talibus autem verbis prae-

---

[1]) Contra Schanzium (12—16), qui fidem horum verborum impugnavit, defensores exstiterunt idonei: A. Menzel, Untersuchungen zum Sokrates-Prozesse. Sitzungsberichte d. Wiener Ak. phil. hist. kl. 145 Bd 1903 S. 7.

E. Meijer Gesch. des Altertums V. 227. Cum his facere video H. Maier l. l. 467.

missis hanc inversionem occultare studet; nemo ei nunc hanc commutationem obicere potuit Ipse enim dicebat reus: Sic *fere* accusatio se habet. Quod quam ob causam fecerit, postea fortasse clarius apparebit.

Nunc ne alteram quidem suspicionem supprimemus. Xenophon in Mem. I. 1. 1. crimina referens haec praemisit: *ἡ μὲν γὰρ γραφὴ κατ᾽ αὐτοῦ τοιάδε τις ἦν.* Fortuitusne casus an alter alterum imitatus est et alterius verba in suum usum convertit. Nonnihil autem differunt. Apud Xen. *scriptor* veritus, ut opinor, ne non accurate verba referret, addidit: *τοιαδε τις ἦν* *Neque enim adfuit.* Apud Platonem *reus*, id quod displicet, minus accurate causam dicit. Risum autem movet quod altera illa accusatio (19 B) quam reus sponte sua et extra causam sibi ipse refellendam suscepisse videtur, isdem verbis ornata est, sc. *τοιαύτη τίς ἐστιν.* Magis haec cum verbis Xenophonteis *τοιάδε τις ἦν* congruunt. Quae additamenta alterum alterum peperisse suspicor. Utique Xenophon saepius eiusmodi quid addit, ubi verba alicuius poetae vel scriptoris commemorat, levissima mutatione, cf. Mem. II. 6. 11 ubi haec leguntur: *Ἃ μὲν αἱ Σειρῆνες ἐπῇδον τῷ Ὀδυσσεῖ, ἤκουσας Ὁμήρου, ὧν ἐστιν ἀρχὴ τοιάδε τις.*

Δεῦρ᾽ ἄγε δὴ πολύαιν᾽ Ὀδυσεῦ, μέγα κῦδος Ἀχαιῶν.

Lectio vulgata: *Δεῦρ᾽ ἄγ᾽ ἰών*, vel *ἄγε ὦ.*

Item *εἰσφέρων* et *εἰσηγούμενος* non multum differunt. Has omnes suspiciones nonnemo perparvi vel nullius pretii esse ducendas arbitrabitur. Confiteor: per se, coniunctim vero cum aliis similitudinibus nos iuvare possunt et claram lucem afferent. Memoria eas retinebimus, in paragraphis sequentibus nobis usui erunt.

§ 11. D. De Meleto accusatore imperito et ridiculo.

Apol. Xen. 19.	Apol. Plat. 24 C.
ἀλλ᾽ ὅμως σύ με φῄς, ὦ Μέλητε, τοιαῦτα ἐπιτηδεύοντα τοὺς νέους διαφθείρειν;	*φησὶ γὰρ δὴ τοὺς νέους ἀδικεῖν με διαφθείροντα. ἐγὼ δέ γε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἀδι-*

καίτοι ἐπιστάμεθα μὲν δήπου, τίνες εἰσὶ νέων διαφθοραί.

κεῖν φημὶ Μέλητον, ὅτι σπουδῇ χαριεντίζεται, ῥᾳδίως εἰς ἀγῶνας καθιστὰς ἀνθρώπους, περὶ πραγμάτων προσποιούμενος σπουδάζειν καὶ κήδεσθαι, ὧν οὐδὲν τούτῳ πώποτε ἐμέλησε.

Apol. 24 D.

Ἴθι δή νυν εἰπὲ τούτοις, τίς αὐτοὺς βελτίους ποιεῖ; δῆλον γάρ, ὅτι οἶσθα μέλον γέ σοι κ. τ. λ paulo post καίτοι οὐκ αἰσχρόν σοι δοκεῖ εἶναι καὶ ἱκανὸν τεκμήριον οὗ δὴ ἐγὼ λέγω, ὅτι σοι οὐδὲν μεμέληκεν;

idem 25 C.

ἀλλὰ γάρ, ὦ Μέλητε, ἱκανῶς ἐπιδείκνυσαι, ὅτι οὐδεπώποτε ἐφρόντισας τῶν νέων, καὶ σαφῶς ἀποφαίνεις τὴν σαυτοῦ ἀμέλειαν, ὅτι οὐδέν σοι μεμέληκεν περὶ ὧν ἐμὲ εἰσάγεις.

item Euthyphron 2 C. simillimum Xenophonti.

ἐκεῖνος γάρ, ὥς φησιν, οἶδε τίνα τρόπον οἱ νέοι διαφθείρονται καὶ τίνες οἱ διαφθείροντες αὐτούς.

Apud utrumque scriptorem, simulatque nomen Meleti occurrit, ironice (καίτοι -- δήπου) indicatur et depingitur quasi accusator rerum inscitia ridendus. Apud Xenophontem reus satis graviter neque ludens, postquam de suis virtutibus multa praedicavit, pergit demonstrare, facta quaerens non verba, accusatorem nullum firmum argumentum e vita, quae argumenta plurimi facienda sunt,

proferre posse. Apud Xenophontem non tam verbis sed factis pugnatur: *σὺ δὲ εἰπέ, εἴ τινα οἶσθα ὑπ᾽ ἐμοῦ γεγενημένον ἢ ἐξ εὐσεβοῦς ἀνόσιον ἢ ἐκ σώφρονος ὑβριστὴν ἢ ἐξ εὐδιαίτου πολυδάπανον ἢ ἐκ μετριοπότου οἰνόφλυγα ἢ ἐκ φιλοπόνου μαλακὸν ἢ ἄλλης πονηρᾶς ἡδονῆς ἡσσημένον.*

Quae deinde sequuntur omnia sunt verba serio dicta. Haec causa *capitalis* per ioca apud Xenophontem non agitur, hominum naturae convenienter capitis hoc periculum per seria effugere studet Socrates; quodsi quis dixerit interventione daemonii eum non ignorare mortem instare sibi, tamen eum non decet ludere et accusatorem tam diu, ut est apud Platonem, ludibrio habere, sed vultu serie composito vitam suam et opus et studium defendere innocentiamque. In extrema morte nimia ironia in reo, nimia iocatio displicet, neque veri simile est Socratem in defendendo lascivia quadam usum esse irridendi et iocandi.

Haec causa est quod Socrates Platonicus nobis minime probatur.

Primum hoc statuendum est, non eundem Socratem a Platone nobis nunc ante oculos poni, non illum hominem caute et timide causam defendentem divina mente imbutum, sed, ficta callide altercatione, cum accusatore iurgia exercentem, velut si ille puer esset quem quis ad libitum ludibrio habere posset.

Nonnihil interest inter Socratem iudices alloquentem, ante iudices causam suam defendentem, et Socratem qui non serio sed per iocum accusatori illudens illius inscitiam et imperitiam demonstrare studet (27 A *καίτοι τοῦτο ἐστι παίζοντος.*).

Adversus Meletum Socrates Platonicus lascivia quadam se iactat, tanquam vetus in arte disputandi gladiator, qui tironem per ludum et per iocum devinci posse arbitratur. Nos autem nobis videmur identidem *ipsum Platonem* audire, ubi Meletum illudit hisce vocabulis 24 B: *πρὸς δὲ Μέλητον τὸν ἀγαθόν τε καὶ φιλόπολιν, ὥς φησι, πειράσομαι ἀπολογεῖσθαι,* 24 C *καί μοι, δεῦρο, ὦ Μέλητε,* 25 C *ὦ πρὸς Διὸς Μέλητε, ὦ τάν,* 26 C *ὦ θαυμάσιε Μέλητε.* Talis enim irrisio magis decet scriptorem posteriorem vel philosophum, qui cum amicis de aliqua quaestione iucundissime disputat, ipsum Platonem puta, quam reum. Qui capitis accusatus vitam defendit, in eum eiusmodi sermo irridens non cadit. Plato autem non tam crimina dissolvere studebat quam acerba irrisione demonstrare

stultitiam accusatorum et puerilem accusationem risu dignam esse, non autem seria refutatione vid. 28 A ἱκανὰ καὶ ταῦτα.

Quo factum est ut Plato nimis genio suo indulgeret et exaggeratione quadam abuteretur.

Quid enim fit? Reus accusatorem accusat inscitiae, semet ipsum non purgat, adversarium aggreditur, eum ludibrio habet, crimina non refellit. Fit lusus dialecticus, reductio ad absurdum, quam vocant, non autem defensio. Vera crimina et vera defensio aliis locis dilucent.

§ 12. E. De vocabulis quae sunt ἓν ἕκαστον.

Apol. Xen. 15.	Apol. Plat. 24 C.
ὅμως δὲ ὑμεῖς μηδὲ ταῦτ' εἰκῇ πιστεύσητε τῷ θεῷ, ἀλλὰ καθ' ἓν ἕκαστον ἐπισκοπεῖτε ὧν εἶπεν ὁ θεός.	τούτου δὲ τοῦ ἐγκλήματος ἓν ἕκαστον ἐξετάσωμεν.

Apud Xenophontem oraculi responsum in membra discerpitur (Apol. 16) et separatim et singillatim demonstratur verum dixisse oraculum. Adeo Socrates Xenophonteus paratus est innocentiam suam defendere, ut ne haec quidem (μηδὲ ταῦτα) sic temere credenda esse arbitretur. Ita illud καθ' ἓν ἕκαστον suam sibi vim obtinet.

Apud Platonem autem praeter expectationem nostram non sequitur refutatio ex ordine criminum.

Socrates non contendit se non corrumpere iuvenes, sed primum demonstrat accusatorem accusare de rebus ei ignotis, deinde demonstrat sibimet ipsum nocere qui iuvenes corrumpit, non verisimile igitur esse quemquam hoc agere. Ubi autem 26 B pergit, non singillatim crimina aggreditur, sed ea miscentur et contaminantur, ita ut unum crimen fiat sc. crimen ἀσέβειας vel potius crimen ἀθεότητος. Etenim de novis daemoniis verbum nullum; e contrario reus ipse sibi accusationem graviorem reddidit. Neque hoc crimine se purgat sed irridet Meletum cum propriae accusationi altera, quae ab ipso accusatore mutata est --

ita Plato! — opponitur, deinde *propria* denuo accusatione utitur ut *mutatam* refellat.

Differunt inter se nostri scriptores hac quoque in re, quod illud ἓν ἕκαστον apud Xenophontem cum oraculo coniungitur, apud Platonem cum criminibus.

Utri credendum est? Ei qui nobis argumentationem incredibilem neque veram proponit? Ei qui cum oraculo Apollinis coniungit vitae studium Socratis, ministerium dei, explorationem hominum, quam coniunctionem falsam esse vidimus? Ei apud quem „fides verba non sequitur", ut ita dicam, qui, post verba ἓν ἕκαστον, crimina singillatim diluere neglegit? Utcumque res se habet, Platoni fidem ut habeam hac in re a me impetrare non possum.

§ 13. F. De Socrate iuventutis corruptore.

Apol. Xen. 19.

ἀλλ' ὅμως σύ με φής, ὦ Μέλητε, τοιαῦτα ἐπιτηδεύοντα τοὺς νέους διαφθείρειν;

σὺ δὲ εἰπέ, εἴ τινα οἶσθα ὑπ' ἐμοῦ γεγενημένον ἢ ἐξ εὐσεβοῦς ἀνόσιον ἢ ἐκ σώφρονος ὑβριστὴν ἢ ἐξ εὐδιαίτου πολυδάπανον ἢ ἐκ μετριοπότου οἰνόφλυγα ἢ ἐκ φιλοπόνου μαλακὸν ἢ ἄλλης πονηρᾶς ἡδονῆς ἡσσημένον. Ἀλλά, ναὶ μὰ Δί', ἔφη ὁ Μέλητος, ἐκείνους οἶδα, οὓς σὺ πέπεικας σοὶ πείθεσθαι μᾶλλον ἢ τοῖς γειναμένοις. Ὁμολογῶ, φάναι τὸν Σωκράτην, περί γε παιδείας· τοῦτο γὰρ ἴσασιν ἐμοὶ μεμεληκός.

Apol. 15.

ὅμως δὲ ὑμεῖς μηδὲ ταῦτ' εἰκῇ πιστεύσητε τῷ θεῷ.

Apol. Plat. 24 C.

φησὶ γὰρ δὴ τοὺς νέους ἀδικεῖν με διαφθείροντα.

Apol. 26 B.

ὅμως δὲ δὴ λέγε ἡμῖν, πῶς με φῂς διαφθείρειν, ὦ Μέλητε τοὺς νεωτέρους;

ἢ δῆλον δὴ ὅτι κατὰ τὴν γραφήν, ἣν ἐγράψω, θεοὺς διδάσκοντα μὴ νομίζειν, οὓς ἡ πόλις νομίζει, ἕτερα δὲ δαιμόνια καινά; οὐ ταῦτα λέγεις ὅτι διδάσκων διαφθείρω; πάνυ μὲν οὖν σφόδρα ταῦτα λέγω.

Apol. 24.

τούς γε μὴν νέους πῶς ἂν διαφθείροιμι καρτερίαν καὶ εὐτέλειαν προσεθίζων;

Eadem sed aliter. Apud utrumque scriptorem eadem de re eadem adverbia adhibita sunt, dico ὅμως atque πῶς. Non autem eodem modo.

Pauca igitur de his vocabulis dicam.

Apud Xenophontem adverbium quod est ὅμως bis legitur.

Utroque loco recte se habet. Primum § 15 hoc significat: etsi Apollinis testimonio sum vir sapientissimus, liberrimus, iustissimus, tamen ego, reus, paratus sum argumentis e vita petitis, factis meis commemorandis, demonstrare vitam meam respondere oraculi responso. Deinde § 19: quamquam propter virtutes laudem mihi videor meruisse et apud deos et apud homines, tamen tu contendis, me, virum talem, iuvenes corrumpere?

Apud Platonem contextus hic est:

In praecedentibus paragraphis, reus inquit, demonstravi valde incredibile esse solum a me depravari iuvenes, nulli autem homini expedire vivere inter malos, non ergo me de consulto corrumpere homines, et quamquam ex eo apparebat manifestam esse tuam rerum inscitiam, nihilominus dic mihi quomodo iuvenes a me corrumpantur.

Differunt inter se nostri scriptores. Contextus non est idem. Quodsi hanc Socratis Platonici argumentationem fictam esse apparebit, non dubitabimus quin Socrates hoc adverbio non eo modo, non eo contextu usus sit, et arbitrabimur Platonem aut Xenophontis verbis aut ipsius Socratis libere, ut est eius mos, uti.

Quod attinet ad vocabulum πῶς, hoc tantum observo, apud Xenophontem illud occurrere in *interrogatione rhetorica,* quam vocant, contra apud Platonem *percontari* reum accusatorem de hac criminis impietatis parte. Hoc nonnihil displicet. Etenim post orationes adversariorum reum nondum scire quid sibi velit illa accusatio, nobis valde mirandum videtur (vid infra).

Vidimus totam accusationem duobus criminibus constare, alterum esse impietatis, alterum corruptelae. Separata ergo haec duo crimina erant, ut est apud Diog. Laert: ἀδικεῖ δὲ καὶ κ. τ λ. Quodsi Xenophontem interrogamus, quid ergo Socrates commiserit ut adversarii hoc quoque crimine eum accusarent, responsum nobis dabitur certum clarum (19, 20, 21). Propter παιδείαν illam capitis damnari eum volebant (τούτου ἕνεκα θανάτου ὑπὸ σοῦ διώκεσθαι 21. cf. Euthyphr. Plat. 3 C.).

Nunc autem ad Platonem revertamur.

De educatione atque institutione in criminibus refutandis hoc quidem loco neque Socratem neque Meletum quicquam dicere audimus. Contra crimen corruptelae coniunctum est cum crimine impietatis! Quo melius autem perspiciamus quomodo reus Platonicus causam dicat, statuamus necesse est hanc coniunctionem ab ipso reo proponi, confiteri deinde adversarium. Reus enim adhuc ignorare videtur quomodo iuvenes corruperit. Quod demiror. Nonne verba fecerunt Meletus, Anytus, Lycon, alii, et verbis, argumentis, factis commemorandis, testimoniis crimina confirmaverunt et illustraverunt? Oratio Meleti nusquam hoc loco commemoratur, non laudatur, non refutatur, immo prorsus ignoratur. Apud Platonem accusatores orationibus, quas habuerunt, crimen corruptelae ne tetigisse quidem videntur —— neque crimen novorum daemoniorum! De utroque enim crimine in dubio est reus.

Utique ad libellum accusatoris confugit; eam autem, ὦ Ζεῦ καὶ θεοί, furtim mutat. Quae deinde sequuntur eam ob causam addita sunt ut novum furtum parent: εἰπὲ ἔτι σαφέστερον καὶ ἐμοὶ καὶ τοῖς ἀνδράσιν τουτοισί. ἐγὼ γὰρ οὐ δύναμαι μαθεῖν πότερον λέγεις διδάσκειν με νομίζειν εἶναι θεούς, καὶ αὐτὸς ἄρα νομίζω εἶναι θεούς, καὶ οὐκ εἰμὶ τὸ παράπαν ἄθεος οὐδὲ ταύτῃ ἀδικῶ, οὐ μέντοι οὕσπερ γε ἡ πόλις, ἀλλ᾽ ἑτέρους, καὶ τοῦτ᾽ ἔστιν ὅ μοι ἐγκαλεῖς, ὅτι ἑτέρους· ἢ παντάπασί με φῂς οὔτε αὐτὸν νομίζειν θεοὺς τούς τε ἄλλους ταῦτα διδάσκειν.

Iam Schanzius in adnotatione (l. l. pag. 154) haec scripsit: „Die Frage ist, ob Sokrates zwar nicht an die Götter des Staates, aber doch an andere glaubt, oder ob er die Existenz der Götter

überhaupt bestreitet. Die erste Frage wird *äusserst gewunden vorgeführt, es ist, als wollte der Schriftsteller andeuten, das hier ein Kunstgriff vorliegt,* denn die Klage lässt keinen Zweifel darüber, dass der Kläger Sokrates nicht für einen ἄθεος hält; er spricht ja von ἕτερα δαιμόνια, welche anderer Art als die vaterländischen Götter sein können, aber doch zum mindesten als Göttliche Kräfte gefasst werden müssen". Recte, ne in libello quidem — ut non loquar de eius oratione — Meleto obscuritas verborum obici potest. Altera autem parte viro clarissimo non assentior. Plato nos nihil *monere* vult. E contrario dissimulanter et furtive atque *de consulto* haec ab eo mutata sunt. Sic enim per duas commutationes ad eam accusationem pervenit, quae ei usui esse potest, quae illius apologiae idonea est. Nempe ut Meletum deridere possit. Hoc enim unum agit in hac parte eius scripti. Totidem verbis hoc legitur 27 A καίτοι τοῦτό ἐστι παίζοντος conf. praeterea 28 A. Ἀλλὰ γάρ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ὡς μὲν ἐγὼ οὐκ ἀδικῶ κατὰ τὴν Μελήτου γραφήν, οὐ πολλῆς μοι δοκεῖ εἶναι ἀπολογίας, ἀλλὰ ἱκανὰ καὶ ταῦτα.

24 B crimina inverso ordine leguntur; 26 B tota commutatio i. e. totum furtum confectum et ad finem perductum est. In unum crimen conglutinata sunt duo. Inter has duas mutationes collocata est irrisio Meleti. Eo modo Plato furtum suum occultare studet, ita hoc lectores fugiturum esse sperat. Νήπιος! Verba enim illa ἢ δῆλον δὴ ὅτι κατὰ τὴν γραφήν, ἣν ἐγράψω κ. τ. λ. eius scriptoris sunt qui arbitrari videtur lectores suos νυστάζειν. Non enim *ex libello accusatorum* hoc manifestum est, sc. depravationem iuvenum ex eo gigni quod Socrates, ipse homo impius, alios sua impietate obstringeret. Ex *oratione* Meleti vel aliorum adversariorum hoc patere potuit, sed ea nusquam a Socrate Platonico impugnatur. Quae deinde sequuntur verba subdole quoque composita esse videntur: οὐ ταῦτα λέγεις ὅτι διδάσκων διαφθείρω; In contextu significare debent *impietatem docens*; tamen sic nude posita de eius dialogis, de eius educatione iuvenum accipi possunt. Affirmatio Meleti, quae graviter et cum emphasi pronuntiata est, ficta esse mihi quidem videtur; valde autem idonea quae toti altercationi veritatis speciem praebeat, dico: πάνυ μὲν

οὖν σφόδρα ταῦτα λέγω (item 26 C: ταῦτα λέγω, ὡς τὸ παράπαν οὐ νομίζεις θεούς)[1]).

Postquam deinde altera pars criminis impietatis sc. crimen novorum daemoniorum, amolita est, vel potius accusator rogatus eam reo condonavit — neque Meletus secundum Platonem de hoc crimine locutus esse videtur, neque igitur reus hoc crimine se purgat — sequitur altercatio cuius finis hic est: οὗτος γὰρ ἐμοὶ φαίνεται τὰ ἐναντία λέγειν αὐτὸς ἑαυτῷ ἐν τῇ γραφῇ, ὥσπερ ἂν εἰ εἴποι ἀδικεῖ Σωκράτης θεοὺς οὐ νομίζων, ἀλλὰ θεοὺς νομίζων. Dormimus? Vigilamus? An Plato nos videntes atque vigilantes eludere studet? Ita, ut tu ais, res se non habet, Plato. Minime, sed tu causidicorum vel dialecticorum in modum — idque satis pueriliter — reum tuum inducis pro re nata et ad libitum verba accusationis mutantem, adversarium facis dicentem et respondentem talia qualia tibi opus sunt. Sic ut fit in disputationibus dialecticis dexteritate quadam et versutia disputandi accusatorem sibi ipsum repugnantem inducis. Neque mehercle in accusatorum libello, ut tu ais, haec contradictio legitur, sed postquam a te omnia huc atque illuc versata et inversa et mutata sunt; neque haec omnia sunt rei iocantis — καίτοι τοῦτό ἐστι παίζοντος — sed scriptoris posterioris qui, nulla veritatis cura habita, hoc tantum agit ut accusatores ulciscatur, ludibrio eos habens et demonstrare conatur nimis ridiculam totam illam accusationem esse quam ut quis serio eam refellat. Sed tu non optime haec composuisti. Qui, intentus spectator, acriter intuetur, omnia tua furta et artificia animadvertit. Neque te inconstantissime loqui ignoramus, quippe qui 27 B 28 A denuo ad primam accusationem i. e. accusationem a te nondum mutatam, refugias, ut demonstres admodum ieiunum esse Socratem accusari atheismi. Praestigiator es Plato, sed occultiorem te esse oportet et melius fraudes tegere. Videmus enim quomodo in apologia tua componenda agas.

Defensionem autem nobis non exhibes, Plato.

Socrates tuus non demonstravit se deos patrios colere.

Socrates tuus non defendit daemonium suum.

---

[1]) Ut vera videantur quae dixit, saepius tales affirmationes adduntur: e. g. Apol. 33 C. πᾶσαν ὑμῖν τὴν ἀλήθειαν ἐγὼ εἶπον.

Socrates tuus hoc quidem loco crimen corruptelae non refellit. Socrates tuus adversarium aggreditur, ludibrio habet, semet ipsum autem non purgat.

Nihilne ergo in tota Platonis Apologia de Socratis educatione, de Socrate Athenienses, Graecos, antiquos, genus hominum docente et educante, i. e. de crimine corruptelae dicitur? *Περὶ παιδείας* nullum verbum?

Legimus illam explorationem hominum dei iussu institutam esse, ut ita dicamus. Illud ministerium dei educatio erat clandestina et dissimulata.

Praeterea hic atque illic loquitur de iuvenibus corruptis *extra crimen impietatis* et *rectius; ibi verum crimen translucet.*

Loci, quibus sine atheismi vel impietatis mentione de corruptela agitur, hi fere sunt:

Apol. 33 C. D. *εἰ γὰρ δὴ ἔγωγε τῶν νέων τοὺς μὲν διαφθείρω, τοὺς δὲ διέφθαρκα χρῆν δήπου* ——— *νυνὶ αὐτοὺς ἀναβαίνοντας ἐμοῦ κατηγορεῖν καὶ τιμωρεῖσθαι* Antecedit de Socrate educante et docente, interrogante, quaerente, explorante disputatio.

Optimus autem locus est 29 C, ubi ipsius Anyti verba afferuntur, ex quibus apparet illam depravationem non esse quaerendam in eius impietate sed in eius institutione: *ὥστε οὐδ' εἴ με νῦν ὑμεῖς ἀφίετε Ἀνύτῳ ἀπιστήσαντες, ὃς ἔφη ἢ τὴν ἀρχὴν οὐ δεῖν ἐμὲ δεῦρο εἰσελθεῖν ἤ, ἐπειδὴ εἰσῆλθον, οὐχ οἷόν τ' εἶναι τὸ μὴ ἀποκτεῖναί με, λέγων πρὸς ὑμᾶς ὡς, εἰ διαφευξοίμην, ἤδη ὑμῶν οἱ υεῖς ἐπιτηδεύοντες ἃ Σωκράτης διδάσκει πάντες παντάπασι διαφθαρήσονται, — εἴ μοι πρὸς ταῦτα εἴποιτε· ὦ Σώκρατες, νῦν μὲν Ἀνύτῳ οὐ πειθόμεθα, ἀλλ' ἀφίεμέν σε, ἐπὶ τούτῳ μέντοι ἐφ' ᾧτε μηκέτι ἐν ταύτῃ τῇ ζητήσει διατρίβειν μηδὲ φιλοσοφεῖν κ. τ. λ.* Socrati iuvenes ad virtutem incitare propositum erat: 29 E *φρονήσεως δὲ καὶ ἀληθείας καὶ τῆς ψυχῆς, ὅπως ὡς βελτίστη ἔσται — ἐπιμελεῖσθαι.* Nonnullis Atheniensibus hoc idem valebat quod eos depravare, cf 30 B. *εἰ μὲν οὖν ταῦτα λέγων διαφθείρω τοὺς νέους, ταῦτ' ἂν εἴη βλαβερά.* Similis sententia in Mem. Xen. I. 2. 8. *Πῶς ἂν οὖν ὁ τοιοῦτος ἀνὴρ διαφθείροι τοὺς νέους; εἰ μὴ ἄρα ἡ τῆς ἀρετῆς ἐπιμέλεια διαφθορά ἐστιν.*

Tertius locus legitur 23 C D: *ἐντεῦθεν οὖν οἱ ὑπ' αὐτῶν ἐξετα-*

ζόμενοι ἐμοὶ ὀργίζονται, ἀλλ' οὐχ αὐτοῖς, καὶ λέγουσιν ὡς Σωκράτης τίς ἐστι μιαρώτατος καὶ διαφθείρει τοὺς νέους ——— *καὶ τὰ κατὰ πάντων τῶν φιλοσοφούντων πρόχειρα ταῦτα λέγουσιν, ὅτι τὰ μετέωρα καὶ τὰ ὑπὸ γῆς, καὶ θεοὺς μὴ νομίζειν, καὶ τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν.* Hoc loco depravatio versatur in perversa institutione et educatione. Impietatis crimen nunc additum est, quod illud erat pervulgatum et vulgo a comicis obiciebatur philosophis. In ficta autem accusatione non occurrebat 19 B. Antecedit praeterea illa exploratio hominum, qua in hominum *sapientiam* inquirebat. Ea autem, sic ut totum ministerium dei, apud Platonem Socratis *παιδείᾳ* obtentui est. Etenim falso Socrates Platonicus omnem institutionem dissimulat.

Alibi quoque 37 C D. odium in Socratem idem est quod odium in eius dialogos, quibus per euristicam methodum iuvenes perversa educatione doceret: *ὑμεῖς μὲν ὄντες πολῖταί μου οὐχ οἷοί τε ἐγένεσθε ἐνεγκεῖν τὰς ἐμὰς διατριβὰς καὶ τοὺς λόγους*, neque in aliis regionibus homines ferent. Tamen *εὖ οἶδ' ὅτι, ὅποι ἂν ἔλθω, λέγοντος ἐμοῦ ἀκροάσονται οἱ νέοι ὥσπερ ἐνθάδε.* Dialectica Socratis arte iuvenes ibi quoque corrumpentur!

Praeterea ipse Plato in ipsa defensione criminum (24 B—26 A) nos cogit arbitrari crimen corruptelae *non pendere e crimine impietatis.*

24 E legimus: *οἵδε τοὺς νέους παιδεύειν οἷοί τέ εἰσιν καὶ βελτίους ποιοῦσιν*; Confitetur Meletus identidem interrogatus iudices, auditores, omnes Athenienses iuvenes meliores reddere. Praeter Socratem! Ille solus eos corrumpit. Socrates aliis Atheniensibus opponitur verbis quae plena sunt ironiae. Sic Plato rem ad absurdum deducere sibi videtur. Deinde Socrates affirmat eos tantum qui rei periti sunt, rem cognitam habent, educare posse. Non potest is, qui *ἱππικός* non est, equis uti. Ita quoque is solum, qui habet *ἀνθρωπίνην σοφίαν*, iuvenes educare potest. Huius sapientiae autem Socrates sibi conscius erat, 20 D *ἐγὼ γάρ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, δι' οὐδὲν ἀλλ' ἢ διὰ σοφίαν τινὰ τοῦτο τὸ ὄνομα ἔσχηκα. ποίαν δὴ σοφίαν ταύτην; ἥπερ ἐστὶν ἴσως ἀνθρωπίνη σοφία. τῷ ὄντι γὰρ κινδυνεύω ταύτην εἶναι σοφός.*

Ubi ergo legimus 25 B ἢ τοὐναντίον τούτου πᾶν εἷς μέν τις ὁ βελτίους οἷός τ᾽ ὢν ποιεῖν ἢ πάνυ ὀλίγοι, οἱ ἱππικοί, nobis illud εἷς non iam mirum videtur. Subest enim haec cogitatio: *Socrates solus homines educare potest.*

Videmus omnia haec optime decurrere, si de Socrate disputando et interrogando iuvenes depravante accipimus. Sin autem depravatio illa ex Socratis impietate nasceretur, primum tota illa reductio ad absurdum ridicula fieret. Etenim Meletus tum respondere posset: Ita Socrates, tu solus, tu enim deos patrios non colis, tu iuvenibus persuades ut te imitentur. Neque Meletus ridendus esset, sed Plato propter ineptam illam ironiam. Deinde comparatio illa equorum male apposita esset.

Meminerimus autem haec legi antequam crimina contaminata sunt (26 B).

Non solum autem in Apologia permixta sunt et coniuncta crimina. In dialogo, cui titulus Euthyphron, similia leguntur, 3 A. καί μοι λέγε, τί καὶ ποιοῦντά σέ φησι διαφθείρειν τοὺς νέους; Socrates respondet: Ἄτοπα, ὦ θαυμάσιε, ὡς οὕτω γ᾽ ἀκοῦσαι. φησὶ γάρ με ποιητὴν εἶναι θεῶν, καὶ ὡς καινοὺς ποιοῦντα θεούς, τοὺς δ᾽ ἀρχαίους οὐ νομίζοντα ἐγράψατο τούτων αὐτῶν ἕνεκα, ὥς φησιν.

Hoc quoque in dialogo confuse loquitur Plato, neque bene omnia cohaerere mihi videntur. Ubi enim, 2 C, legimus: τὸ γὰρ νέον ὄντα τοσοῦτον πρᾶγμα ἐγνωκέναι οὐ φαῦλόν ἐστιν. ἐκεῖνος γάρ, ὥς φησιν, οἶδε τίνα τρόπον οἱ νέοι διαφθείρονται καὶ τίνες οἱ διαφθείροντες αὐτόυς, haec, opinor, nonnisi de educatione, vera et falsa, recta et perversa, accipi possunt. Ironice Socrates Pl. miratur Meletum iuvenem vidisse et intellexisse rem, artem, omnium difficillimam (mente supplendum: παιδείαν). Impietatem autem alicuius animadvertere haud ita difficile est. *Daemonium praeterea omnibus hominibus notissimum erat,* Apol. 32 C. Ubi igitur in verbis sequentibus opponitur Meletus sapiens et prudens Socratis stultitiae, haec sensu cassa essent, si significarent: Socrates deos non colit, iuvenes idem docet, haec est eius stultitia, non enim videt eos sic depravari; Meletus hoc vidit et intellexit, homo sapiens, non enim ignorat sic iuvenes corrumpi.

Item 2 D. de institutione et educatione sermo est. Verba hic leguntur et comparatio usitatissima in dialogis Socraticis ubi de educatione, de virtute loquuntur: ὀρθῶς ἐστι τῶν νέων πρῶτον ἐπιμεληθῆναι, ὅπως ἔσονται ὅ τι ἄριστοι, ὥσπερ γεωργὸν ἀγαθὸν τῶν νέων φυτῶν εἰκὸς πρῶτον ἐπιμεληθῆναι, μετὰ δὲ τοῦτο καὶ τῶν ἄλλων.

Alius quoque locus notandus 3 C: Ἀθηναίοις γάρ τοι, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ οὐ σφόδρα μέλει, ἄν τινα δεινὸν οἴωνται εἶναι, μὴ μέντοι διδασκαλικὸν τῆς αὑτοῦ σοφίας.

Δεινότης autem Socratis et σοφία non est sapientia hominis qui deos patrios non colit, sed eius Socratis qui omnes homines in disputando facile vincit incredibili quadam dexteritate. Hinc quoque *ira* atque ***invidia:*** ὃν δ' ἂν καὶ ἄλλους οἴωνται ποιεῖν τοιούτους, θυμοῦνται, εἴτ' οὖν φθόνῳ, ὡς σὺ λέγεις, εἴτε δι' ἄλλο τι. Quibuscum conferantur haec in Apol. 23 C. οἱ ὑπ' αὐτῶν (sc. Socratis discipuli qui magistrum imitantur) ἐξεταζόμενοι ἐμοὶ ὀργίζονται, et Apol. 37 D: οὐχ οἷοί τε ἐγένεσθε ἐνεγκεῖν τὰς ἐμὰς διατριβὰς καὶ τοὺς λόγους, ἀλλ' ὑμῖν βαρύτεραι γεγόνασιν καὶ ἐπιφθονώτεροι.

Postremo haec nostra sententia corroboratur, ita ut omnis dubitatio evanescat, hisce verbis 3 D: ἴσως γὰρ σὺ μὲν δοκεῖς σπάνιον σεαυτὸν παρέχειν καὶ διδάσκειν οὐκ ἐθέλειν τὴν σεαυτοῦ σοφίαν. ἐγὼ δὲ φοβοῦμαι μὴ ὑπὸ φιλανθρωπίας [1]) δοκῶ αὐτοῖς ὅ τι περ ἔχω ἐκκεχυμένως παντὶ ἀνδρὶ λέγειν, οὐ μόνον ἄνευ μισθοῦ, ἀλλὰ καὶ προστιθεὶς ἂν ἡδέως εἴ τίς μου ἐθέλοι ἀκούειν.

Collato loco apud Xen. in Mem. I. 6. 13—14:

τὴν σοφίαν ὡσαύτως τοὺς μὲν ἀργυρίου τῷ βουλομένῳ πωλοῦντας σοφιστὰς (ὥσπερ πόρνους) ἀποκαλοῦσιν, ὅστις δέ, ὃν ἂν γνῷ εὐφυᾶ ὄντα, διδάσκων, ὅ τι ἂν ἔχῃ ἀγαθόν, φίλον ποιεῖται, τοῦτον νομίζομεν, ἃ τῷ καλῷ κἀγαθῷ πολίτῃ προσήκει, ταῦτα ποιεῖν.

Socrates ἄνευ μισθοῦ non docet impietatem, sed quid sit virtus, hominibus et artificibus, vel in universum τὸ τί ἐστιν.

Non debebat ergo Schanzius l. l. 13—16 defendere hanc Platonis criminum contaminationem, neque contra Favorini testimonium, contra Xenophontem, qui et in Mem. et in Apol. eundem

---

[1]) Et in Mem. Xen. I. 2. 60 Socrates *docens* δημοτικὸς καὶ φιλάνθρωπος audit. Ibi quoque *gratis*.

rerum ordinem sequitur, novam accusationem ex Platonis verbis 26 B. componere. Is tamen accusationem talem, qualis apud Xenophontem legitur, reicit et Platonis verba vera esse arbitratur. Valde autem miror H. Maier, qui l. l. 467³ declarat testimonium Favorini non esse addubitandum — i. e. separata fuisse crimina concedit —, simul autem contendere Platonem vera nobis exhibere — i. e. coniuncta fuisse crimina —!

„Der Sinn des dritten Klagepunktes nämlich war, dasz Sokrates die Jugend insofern verführe, als er sie in seine eigenen Verfehlungen verstricke, d. h. sie zum Unglauben gegenüber den Staatsgöttern und zum Glauben an neue Daimonia veranlasse''.

Affert locum a nobis iam laudatum Apol. 26 B, qui quanti faciendus sit, intelleximus [1]).

Sed de hac controversia haec sufficiunt.

§ 14. G. De Socrate viro laude digno.

Apol. Xen. 18.	Apol. Plat. 36 D. E.
εἴ γε μὴν ὅσα εἴρηκα περὶ ἐμαυτοῦ, μηδεὶς δύναιτ' ἂν ἐξελέγξαι με ὡς ψεύδομαι, πῶς οὐκ ἂν ἤδη δικαίως καὶ ὑπὸ θεῶν καὶ ὑπ' ἀνθρώπων ἐπαινοίμην;	*τί οὖν εἰμὶ ἄξιος παθεῖν τοιοῦτος ὤν; ἀγαθόν τι, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, εἰ δεῖ γε κατὰ τὴν ἀξίαν τῇ ἀληθείᾳ τιμᾶσθαι· — τί οὖν πρέπει ἀνδρὶ πένητι εὐεργέτῃ δεομένῳ ἄγειν σχολὴν ἐπὶ τῇ ὑμετέρᾳ παρακελεύσει; οὐκ ἔσθ' ὅ τι μᾶλλον, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, πρέπει οὕτως, ὡς τὸν τοιοῦτον ἄνδρα ἐν πρυτανείῳ σιτεῖσθαι, πολύ γε μᾶλλον ἢ εἴ τις ὑμῶν*

[1]) Ipse Plato in Gorgia dialogo Maierio respondet, opinor: 521, 522. ubi Socrates artis dialecticae peritissimus depingitur 522 B: *ἐάν τέ τίς με ἢ νεωτέρους φῇ διαφθείρειν ἀπορεῖν ποιοῦντα, ἢ τοὺς πρεσβυτέρους κακηγορεῖν λέγοντα πικροὺς λόγους κ. τ. λ.*

Item 521 E. *τοὺς νεωτάτους ὑμῶν διαφθείρει τέμνων τε καὶ κάων, καὶ ἰσχναίνων καὶ πνίγων ἀπορεῖν ποιεῖ κ. τ. λ.*

De impietate nihil!

ἵππῳ ἢ ξυνωρίδι ἢ ζεύγει νενίκηκεν Ὀλυμπίασιν. ὁ μὲν γὰρ ὑμᾶς ποιεῖ εὐδαίμονας δοκεῖν εἶναι, ἐγὼ δὲ εἶναι.

Post similem enumerationem bene a se factorum (Apol. Xen. 17; Apol. Plat. 36 C.) Socrates affirmat et contendit laudem se meruisse et gratiam. Apud Xen. haec in ipsa defensione leguntur, apud Platonem in litis aestimatione. Quam ob causam haud abs re duco in ea litis aestimatione, qualis apud Platonem extat, paulo longius subsistere.

Postquam Socrates breviter de numero sententiarum disputavit, quae verba ut opinor referunt opinionem ipsius Platonis et Socratis amicorum, ironice rogat quid meruerit. Commemorat beneficia sua Apol. 36 C. *εὐεργετεῖν τὴν μεγίστην εὐεργεσίαν*, 36 D. *ἀνδρὶ πένητι εὐεργέτῃ*, cf. *Apol. Xen. 17, 26 eadem vocabula.* Deinde semet dignum iudicat qui *ἐν πρυτανείῳ σιτεῖσθαι* sinatur. Haeccine a Socrate dicta? Et eo modo a Socrate dicta? Hoc pro certo effici non potest. Num verisimile? Minime. Non enim nobis credibile *Socratem* qui mortem sibi instare videret, ita disseruisse, adeo quiete, ironia plus quam humana. Magis haec decent Platonem. Is haec composuit ut Athenienses ludibrio haberet ironia illa viri urbanissimi. Ficta ergo nobis videtur haec disputatio. At unde materiem sumpsit? Comparemus cum Platonis verbis locum e Mem. Xen., qui multimodis dignus est quem commemoremus, I. 2. 61: *Ἀλλὰ Σωκράτης γε καὶ πρὸς τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους κόσμον τῇ πόλει παρεῖχε, πολλῷ μᾶλλον ἢ Λίχας τῇ Λακεδαιμονίων, ὃς ὀνομαστὸς ἐπὶ τούτῳ γέγονε. Λίχας μὲν γὰρ ταῖς γυμνοπαιδίαις τοὺς ἐπιδημοῦντας ἐν Λακεδαίμονι ξένους ἐδείπνιζε, Σωκράτης δὲ διὰ παντὸς τοῦ βίου τὰ ἑαυτοῦ δαπανῶν τὰ μέγιστα πάντας τοὺς βουλομένους ὠφέλει· βελτίους γὰρ ποιῶν τοὺς συγγιγνομένους ἀπέπεμπεν.* Deinde Xenophon — paulisper moratus fortasse — sic scribere pergit *novam sententiam* aperiens, quae omnino contraria est opinioni Atheniensium: *Ἐμοὶ μὲν δὴ Σωκράτης τοιοῦτος ὢν* (vid. particulas vim addentes) *ἐδόκει τιμῆς ἄξιος εἶναι τῇ πόλει μᾶλλον ἢ θανάτου.* Idem 64 sub finem: *ταῦτα δὲ πράττων πῶς οὐ μεγάλης ἄξιος ἦν τιμῆς*

τῇ πολει; Plato hanc *comparationem* in suum usum convertere potuit. *Nomen* Lichae transcribere non potuit. Quid fit? Lichas mutatur in Olympionicum. Et magnus honor — auctus etiam — fit σίτησις ἐν πρυτανείῳ

Nunc autem singula verba et sententias, altera alteris, opponemus.

Mem. Xen. I. 2. 61.	Apol. Plat. 36.
Σωκράτης κόσμον τῇ πόλει παρεῖχε.	ὁ μὲν γὰρ ὑμᾶς ποιεῖ εὐδαίμονας δοκεῖν εἶναι, ἐγὼ δὲ εἶναι.
πολλῷ μᾶλλον ἢ Λίχας.	πολύ γε μᾶλλον ἢ εἴ τις νενίκηκεν Ὀλυμπίασιν.
Λίχας τοὺς ξένους ἐδείπνιζε	ἐν πρυτανείῳ σιτεῖσθαι —
Σωκράτης τὰ μέγιστα πάντας τοὺς βουλομένους ὠφέλει.	ἐνταῦθα μὲν οὐκ ᾖα οἷ ἐλθὼν μήτε ὑμῖν μήτε ἐμαυτῷ ἔμελλον μηδὲν ὄφελος εἶναι, ἐπὶ δὲ τὸ ἰδίᾳ ἕκαστον ἰὼν εὐεργετεῖν τὴν μεγίστην εὐεργεσίαν.
βελτίους γὰρ ποιῶν τοὺς συγγιγνομένους ἀπέπεμπεν.	ἐπιχειρῶν ἕκαστον ὑμῶν πείθειν ——— ἐπιμελεῖσθαι ὅπως ὡς βέλτιστος καὶ φρονιμώτατος ἔσοιτο.

Video et virum clarissimum Schanzium l. l. pag. 110 hunc locum animadvertisse. Non possum autem ei assentiri, quippe qui longe aliter hanc similitudinem interpretetur. Arbitratur enim sic Xenophontem reclamare, ut ita dicam, τῇ ἐν πρυτανείῳ σιτήσει, quam Socrates Platonicus sibi deposcit: „Sollte in dieser scharfen Gegenüberstellung nicht ein Protest des Xenophon gegen die von Socrates für sich beantragte σίτησις ἐν τῷ πρυτανείῳ enthalten sein?"

Nos *imitationem* deprehendimus. Non enim hisce locis dissimilia leguntur sed similia. Hoc igitur unum pugnari potest, uter prius haec scripserit, uter imitator sit. Ex communi fonte eos hausisse — ipsum Socratem puta — non credimus. Si ita enim

res se haberet, nomen reticere non necesse erat Platoni. Apud utrumque, sic ut nomen Palamedis occurrit, Lichas commemorari potuisset, si ante iudices Socrates haec dixisset [1].

Sequitur deinde altera disputatio. In ea aliam litem sibi aestimat, quae nobis denuo comparanda est cum iis quae a Xenophonte traduntur.

In Apol. Xen. 23 durus et superbus Socrates, ex innocentia talem animum sumens, *κελευόμενος ὑποτιμᾶσθαι οὔτε αὐτὸς ὑπετιμήσατο οὔτε τοὺς φίλους εἴασεν, ἀλλὰ καὶ ἔλεγεν, ὅτι τὸ ὑμοτιμᾶσθαι ὁμολογοῦντος εἴη ἀδικεῖν.* Quae verba nostrum Socratem, leonem indignatum, decent.

Plato similia exhibet 37 B.: *πεπεισμένος δὴ ἐγὼ μηδένα ἀδικεῖν πολλοῦ δέω ἐμαυτόν γε ἀδικήσειν καὶ κατ' ἐμαυτοῦ ἐρεῖν αὐτὸς ὡς ἄξιός εἰμί του κακοῦ καὶ τιμήσεσθαι τοιούτου τινὸς ἐμαυτῷ.* Idem paulo post 38 A, *καὶ ἐγὼ ἅμα οὐκ εἴθισμαι ἐμαυτὸν ἀξιοῦν κακοῦ οὐδενός.* Deinde incredibili cum mobilitate vel urbanitate et obsequio, vel aliam ob causam, Socrates Platonicus sententiam mutat.

Uter verum nobis tradidit? Socrates Xenophonteus amicis interdicit atque imperat ne litem sibi aestiment. Socrates Platonicus postremo, quominus ipse hoc faciat, non recusat.

Vulgo viri docti magis adducuntur ut Xenophontis verba vera esse putent. Ultimis verbis, sc. *οὔτε τοὺς φίλους εἴασεν*, Platonem impugnari a Xenophonte aiunt. Contra H. Maier l. l. 484[1] Platonem defendit post Zellerium, alios. Recte eum nobis et vere haec enarrare, nonnisi vera habita haec intellegi posse contendit: „Verständlich werden alle diese Angaben doch nur dann wenn sie als historisch betrachtet werden dürfen".

Ego autem aliter mihi videor perspexisse Platonis ingenium et libenter adstipulor viris doctis Joël (der echte und der Xenophontische Sokrates p. 479) et Schanz l. l. 98, qui putant ea quae leguntur 38 B., addita esse ut Plato et eius amici — sed imprimis Plato — „clara in luce refulgerent".

---

[1]) Praeterea vocabula *ἐμοὶ μὲν δὴ* cum emphasi enuntiata satis indicant Xenophontem novam et inauditam sententiam dicere.

Joël recte observavit: „Dass hier Socrates 38 B. zuerst Plato nennt als den, der sich bereit erklärt, für eine Strafsumme von 30 minen Bürgschaft zu leisten, hat etwas Ostentatives, sieht wie eine Erklärung pro domo im Sinne Plato's aus, die da bedeutet: Glaubt nur, dass ich gern von meinem Vermögen Opfer gebracht hätte, um Sokrates zu retten, wenn es möglich gewesen wäre".

Similia Schanz: „Ich meine, dass der niedrige Strafantrag nur die Folie für den höheren ist. Er is gemacht, damit Plato, Krito, Kritobulus und Apollodor in umso hellerem Lichte strahlen, e. q. s."

Nos praeterea arbitramur verbis οὐδὲν γὰρ ἂν ἐβλάβην potius impugnari illud Xenophonteum: ὁμολογοῦντος εἴη ἀδικεῖν. Neque illam urbanitatem et benevolentiam probare possumus, qua sententiam suam, satis abrupte, mutare fingitur: εἰ μὲν γὰρ ἦν μοι χρήματα, ἐτιμησάμην ἂν χρημάτων ὅσα ἔμελλον ἐκτείσειν.

Postremo notissimum est Critonem fuisse optimum a pueris Socratis amicum, aequalem eius et tribulem, iure iurando et sponsione se obstrinxisse Socratem in carcere mansurum esse. Nonne quivis sperat illum primum pecuniam oblaturum esse, utique primum nominatum iri? Fallimur. Non sine ostentatione iuvenis aliquis, scriptor huius Apologiae, cui nomen Plato, primus indicatur: Πλάτων δὲ ὅδε; secundas partes agit Criton.

At alio loco primus nominatur Criton 33 D. πρῶτον μὲν Κρίτων οὑτοσί (Levius fortasse hoc quoque quod 34 A. *procul* adstare videtur Plato: Ἀρίστωνος, οὗ ἀδελφὸς οὑτοσὶ Πλάτων).

Cardo autem rerum hic est: Plato primarium locum obtinere studet, intimis et optimis Socratis amicis adnumerari vult. Neque eum pudet se ostentare. Eodem modo quoque in Phaedone, quod in carcere non aderat, cum Socrates poculum mortiferum hauriret, Phaedonem legentem facit: Πλάτων δέ, οἶμαι, ἠσθένει.

Quam excusationem fictam esse suspicor[1]. Utique Plato anxius fuisse videtur, ne Athenienses existimarent Platonem inter fideles Socratis amicos non esse numerandum.

---

[1]) Item E. Zeller, Phil. d. Griech. II, 1[4], 400 A 3.

§ 15. H. Περὶ παιδείας.

Controversia quoque orta est de alio loco, qui vocabulum exhibet, quod viris doctis suspicionem movit.

In Xen. Apol. 20 Socrates totidem verbis confitetur educationem et institutionem sibi curae fuisse, hanc artem suam fuisse, huic se studuisse, in hac se exercuisse et a nonnullis hominibus praeter alios peritum habitum esse: *ὁμολογῶ, περί γε παιδείας τοῦτο γὰρ ἴσασιν ἐμοὶ μεμεληκός* e. q. s.; § 21 *περὶ παιδείας βέλτιστος εἶναι ὑπό τινων προκρίνομαι*; § 26 *προῖκα διδάσκων*.

Contra aliis locis et apud Xenophontem et apud Platonem id ipsum negare videtur: Xen. Mem. I. 2. 3. *καίτοι γε οὐδεπώποτε ὑπέσχετο διδάσκαλος εἶναι*. Plat. Apol. 33 A. *ἐγὼ δὲ διδάσκαλος μὲν οὐδενὸς πώποτ' ἐγενόμην*. Plat. Apol. 19 D. *ὡς ἐγὼ παιδεύειν ἐπιχειρῶ ἀνθρώπους καὶ χρήματα πράττομαι, οὐδὲ τοῦτο ἀληθές*. Plat. Apol. 21 B. *οὔτε μέγα οὔτε σμικρὸν ξύνοιδα ἐμαυτῷ σοφὸς ὤν*, cf. 21 D. Plat. Theaet. 150 C. *ἄγονός εἰμι σοφίας*.

Hanc discrepantiam prae se ferens Fr. Beyschlag l. l. non sine quadam ostentatione hoc uno verbo totam Apologiam Xenophonti abiudicandam censet: „zwei Wörter [1]), die es verbieten, den Bericht für Sokratisch, ja noch mehr, die Apologie selbst für Xenophontisch zu halten".

Magis autem de *vocabulo* quam de *re* pugnatur. Multum inter se sophistae et Socrates differebant. Illi pecunia artem tradebant, quaestus causa philosophabantur. Socrates non item. Illi praedicabant iuvenes nihil non a se doceri, omnibus doctrinis erudiri; Socrates nihil *ἐπηγγέλλετο*, neque profitebatur a se quemquam alicuius artis peritum fieri; pecuniam igitur non accipiebat; ab hac ergo parte magistris adnumerari non poterat. Nunc autem quaeritur, quid fuerit, quod tot iuvenes eum sectarentur, Megara, Thebis venirent, vel quotidie a Piraeo Athenas iter facerent.

Nempe ab eo se erudiri, eius praesentia, eius factis et dictis

[1]) Altera vox, quae offensioni erat, supra tractata est (Cap. primo.) *ἐπὶ δουλοπρεπεῖ διατριβῇ*.

se funditus mutari sentiebant [1]). Euristica, quam vocant, et dialectica methodo ad propositum pervenire solebat, qua qui utitur non docere falso perhibet Socrates Platonicus Menon 81 E, 82 A B. 84 D E. ἐρωτῶντος ἐμοῦ καὶ οὐ διδάσκοντος· φύλαττε δὲ ἄν που εὕρῃς με διδάσκοντα. Theaet. 150 C. D. ἄγονός εἰμι σοφίας . . . . παρ' ἐμοῦ οὐδὲν πώποτε μαθόντες, ἀλλ' αὐτοὶ παρ' αὑτῶν πολλὰ καὶ καλὰ ε ὑ ρ ό ν τ ε ς. Aut per ironiam haec dicta sunt, aut falso et iniuria. Etenim risum movet apud hodiernos is qui contendit scientiam esse memoriam, hoc uno scilicet argumento fretus, quod quaerendo et respondendo iuvenem aliquid docet. Apud antiquos quinti saeculi is solus, ut opinor, docere videbatur, qui *oratione* artem dicendi vel virtutem *traderet*. Non autem Socratis erat longam orationem habere, cf. Alcib. 106 B. λόγον μακρόν —— οὐ γάρ ἐστι τοιοῦτον τὸ ἐμόν· Phaedr. 238 C. παρὰ τὸ εἰωθὸς εὔροιά τίς σε εἴληφεν. Ridiculum quoque est perhibere eum non docere, qui euristica methodo in educando et instituendo utatur, eo magis, quod is, qui semper eadem via et ratione procedat, eadem vocabula, eadem exempla, easdem comparationes studiosi erudiendi gratia adhibeat (cf. Mem. IV. 4. 6; I. 2. 36—37; Gorgias 490 E, 491 Plat. Symp. 221 E), *non potest non optime scire quorsum tendat et evasura sit disputatio*; σύγε εἴωθας ε ἰ δ ὼ ς π ῶ ς ἔ χ ε ι τὰ πλεῖστα ἐρωτᾶν [2]).

[1]) Silentio praeterire possumus verba quibus Socrates Platonicus de hac re nos certiores facit, Apol. 33 C.: ἀλλὰ διὰ τί δή ποτε μετ' ἐμοῦ χαίρουσί τινες πολὺν χρόνον διατρίβοντες; ὅτι ἀκούοντες χαίρουσιν ἐξεταζομένοις τοῖς οἰομένοις μὲν εἶναι σοφοῖς, οὖσι δ' οὔ· ἔστι γὰρ οὐκ ἀηδές. Illa omnia eius sunt, qui non serio rem tractat, in oratione ficta nimio studio abripitur, ut demonstret, quantum Socrates a sophistis abhorreat. Ministerium quoque illud deorum cum Schanzio l. l. pag. 73 hinc alienum ducimus et missum facimus (Apol. Plat. 30 A, 33 C, cf. 37 E τῷ θεῷ ἀπειθεῖν τοῦτ' ἐστίν). Plato hoc de suo excogitavit Apologiae suae ornandae causa et ut magister homo divinus fieret, neque *alio in dialogo* huius divini muneris mentio fit.

[2]) Recte ergo Xen. Oec. 19. 15. ἡ ἐρώτησις διδασκαλία ἐστίν. Item Aeschines (Aristid. Or. XLV, 34. Καὶ δὴ καὶ ἐγὼ οὐδὲν μάθημα ἐπιστάμενος, ὃ διδάξας ἄνθρωπον ὠφελήσαιμ' ἂν ὅμως ᾤμην ξυνὼν ἂν ἐκείνῳ διὰ τὸ ἐρᾶν βελτίω ποιῆσαι. Fictam eius ignorantiam esse dilucet etiam in Plat. Symp. 216 D:

ἀγνοεῖ πάντα καὶ οὐδὲν οἶδεν, ὡς τὸ σ χ ῆ μ α αὐτοῦ.

Eam autem ignorantiam intimis amicis quoque semper praetendisse eum non credo.

Specie ergo Socrates non docebat, re vera autem negari non potest eum a certa quadam ratione profectum esse in adulescentibus erudiendis; licet anxie caverit ne magister appellaretur, ne pecuniam acciperet, ne ἀρετὴν ἐπαγγέλλεσθαι insimulari posset, tamen iuvenes educavit et institutione quadam imbuit [1]). Hinc illae notae discrepantiae, opinatae quidem neque verae, et apud Xenophontem et apud Platonem. Hinc adversariis sophista erat, et Polycrates, id quod ex Isocr. Bus. V elucet, amicos Socratis μαθητάς eius appellavit. Hinc apud amicos quoque περὶ παιδείας peritissimus habebatur, Apol. Xen. l. l., item apud Plat. Lach. 189 A, loco idoneo: οὐκ ἂν ἀχθοίμην μανθάνων — γηράσκων γὰρ πολλὰ διδάσκεσθαι ἐθέλω ὑπὸ χρηστῶν μόνον. τοῦτο γάρ μοι συγχωρείτω, ἀγαθὸν καὶ αὐτὸν εἶναι τὸν διδάσκαλον — εἰ δὲ νεώτερος ὁ διδάσκων — οὐδέν μοι μέλει (Socrates minor natu erat). σοὶ οὖν, ὦ Σώκρατες, ἐγὼ ἐπαγγέλλομαι καὶ διδάσκειν καὶ ἐλέγχειν (verbum quod Socratis modum docendi illustrat) ἐμὲ ὅτι ἂν βούλῃ. Sub finem 200 C D. legimus περὶ παιδείας Σωκράτη μὴ ἀφιέναι, verba quae Nicias, cui Socrates ignotus non est, approbat, ἐάνπερ ἐθέλῃ Σωκράτης τῶν μειρακίων ἐπιμελεῖσθαι, μηδένα ἄλλον ζητεῖν (verbum usitatissimum in Socraticis dialogis 187 A. ἐπιμεληθῆναι de magistro qui pecunia artem tradit). Apparet autem alium magistrum non iam quaeri, sed ipsum Socratem polliceri se mane venturum esse. Apud Xen. Symp. IV. 24 alius pater filium suum Socratis curae demandavit, ὁ πατὴρ παρέδωκέ μοι αὐτόν, εἴ τι δυναίμην ὠφελῆσαι. καὶ μέντοι πολὺ βέλτιον ἤδη ἔχει.

Pauca alia exempla, quae sententiam nostram tueantur, et ex Platone et ex Xenophonte afferemus.

---

[1]) Vidimus eos tantum iuvenes socios ascisci, quos idoneos putabat qui consuetudine sua fruerentur. Deinde iuvenes alium aliter compellabat; Theaetetum (in dialogo Platonis cui nomen Theaetetus), modestum iuvenem atque praeclaro ingenio praeditum, benigne et benevole identidem alloquitur; Menonem, in dialogo eius nominis, nonnumquam ironice; Alcibiadem, in Alcib. dial., satis acerbe. Apud Xenophontem legimus, quomodo primum Euthydemum ironia sua acerba prosecutus sit, deinde adulescentis animum perturbaverit, postremo, cum magis docilem se praeberet adulescens, aperte palamque ei sententiam suam aperuerit.

Quae omnia eius sunt, qui tanquam magister moderatione agendi quadam ad propositum pervenire studet.

In Euthyphrone 3 C., ubi eius accusatio respicitur, legimus: Ἀθηναίοις γάρ τοι οὐ σφόδρα μέλει, ἄν τινα δεινὸν οἴωνται εἶναι, μὴ μέντοι διδασκαλικὸν τῆς αὑτοῦ σοφίας. ὃν δ᾽ ἂν καὶ ἄλλους οἴωνται ποιεῖν τοιούτους, θυμοῦνται; deinde paulo post: Ἴσως γὰρ σὺ μὲν δοκεῖς σπάνιον σεαυτὸν παρέχειν καὶ διδάσκειν οὐκ ἐθέλειν τὴν σεαυτοῦ σοφίαν· ἐγὼ δὲ φοβοῦμαι μὴ ὑπὸ φιλανθρωπίας δοκῶ αὐτοῖς ὅτι περ ἐγὼ ἐκκεχυμένως παντὶ ἀνδρὶ λέγειν κ. τ. λ.

Illud ὅ τί περ ἔχω componendum cum Xen. Mem. I. 6. 14. ἥδομαι φίλοις ἀγαθοῖς καὶ ἐάν τι ἔχω ἀγαθόν, διδάσκω.

Similis locus in Gorgia dialogo 457 B C., ubi eius damnatio respici videtur: τὸν οὖν οὐκ ὀρθῶς χρώμενον μισεῖν δίκαιον καὶ ἐκβάλλειν καὶ ἀποκτιννύναι, ἀλλ᾽ οὐ τὸν διδάξαντα. Hisce verbis suspicor Alcibiadem et Critiam significari, cf. Xen. Mem. et Apol. Plat. 33 B, ubi haec falsa et perversa ratiocinatio legitur, καὶ τούτων ἐγὼ εἴτε τις χρηστὸς γίγνεται εἴτε μή, οὐκ ἂν δικαίως τὴν αἰτίαν ὑπέχοιμι, ὧν μήτε ὑπεσχόμην μηδενὶ μηδὲν πώποτε μάθημα μήτε ἐδίδαξα.

Postremo ex Platone nonnulli loci ex Alcibiade, iam saepius laudati, afferendi sunt, e quibus novimus totam illam amicorum institutionem deorum tutela fieri, Alcib. 105 E, 124 B. C., ubi verbum παιδευθῆναι legitur de mutua institutione, item 135 D. οὐ γὰρ ἔστιν ὅπως οὐ παιδαγωγήσω σε ἀπὸ τῆσδε τῆς ἡμέρας, σὺ δ᾽ ὑπ᾽ ἐμοῦ παιδαγωγήσει.

Παιδεία erat quam sibi et amicis quaesivit sermonibus. In Gorgia pag. 470 E. de magno rege Persarum, utrum beatus sit necne, nescire se confitetur: οὐ γὰρ οἶδα παιδείας ὅπως ἔχει; et in Phaedone 107 D. anima ad inferos descendere dicitur οὐδὲν ἄλλο ἔχουσα πλὴν τῆς παιδείας τε καὶ τροφῆς. Et a Socrate et a Platone institutio summum hominibus bonum habita esse videtur.

De Socrate *Xenophonteo* iuvenes educante conferantur: Mem. I. 1. 10. ἔλεγε μὲν ὡς τὸ πολύ, τοῖς δὲ βουλομένοις ἐξῆν ἀκούειν. I. 1. 16. αὐτὸς δὲ περὶ τῶν ἀνθρωπίνων ἀεὶ διελέγετο σκοπῶν, τί εὐσεβές κ. τ. λ.

Eius verba factis, optimis argumentis, illustrantur I. 2. 3, τῷ φανερὸς εἶναι τοιοῦτος ὤν κ. τ. λ.

Disputandi omnium peritissimus erat I. 2. 15, τοῖς δὲ διαλεγομένοις αὐτῷ πᾶσι χρώμενον ἐν τοῖς λόγοις ὅπως βούλοιτο, quapropter iuvenes

ambitiosi mala gloriae cupiditate correpti appetentissimi erant eius consuetudinis et eo quasi quodam malarum artium atque perversae disputandi dexteritatis *magistro* abutebantur [1]).

Mem. I. 2. 16 ὡς γὰρ τάχιστα κρείττονε τῶν συγγιγνομένων ἡγησάσθην εἶναι, εὐθὺς ἀποπηδήσαντε Σωκράτους ἐπραττέτην τὰ πολιτικά, ὧνπερ ἕνεκα Σωκράτους ὠρεχθήτην.

Socrates in eorum numero habetur qui docere (διδάσκειν) dicuntur Mem. I. 2. 17; I. 2. 31, 49; I. 6. 14; III 7. 5, 6. Παιδείαν ei propositam fuisse apparet ex Mem. IV. 1. 5. τοὺς νομίζοντας οὐδὲν προσδεῖσθαι παιδείας κ. τ. λ. Mem. III. 8. 8 παιδεύειν ἔμοιγ' ἐδόκει.

Mem. IV. 2. 2. primum, incitare cupiens Euthydemum, puerilis atque simplicis animi esse ait sine magistris ad rempublicam accedere velle (εὔηθες ——— ἄνευ διδασκάλων), postremo autem ipse eius magistri, quo opus est Euthydemo, partes agit atque (IV. 2. 40) ἁπλούστατα καὶ σαφέστατα ἐξηγεῖτο ἅ τε ἐνόμιζεν εἰδέναι δεῖν καὶ ἐπιτηδεύειν κράτιστα εἶναι.

Fabella quoque illa de Socrate nihil sciente recte interpretanda est neque in vocabulo haerendum. Sententiae, quales Theaet. 150 C. (ἄγονός εἰμι σοφίας) atque alibi leguntur, plenae dissimulationis sunt, nimiumque a Platone premuntur. Qui semper idem eadem de re dicit, non potest non habere sapientiam vel scientiam quandam; qui certa ratione, ascetarum in modum, vitam instituit, placita nonnulla habuerit necesse est. Doctrinam igitur quandam in Socrate fuisse per se intelligitur et Aristotelis verbis confirmatur, Arist. Met. M. 4 δύο γάρ ἐστιν ἅ τις ἂν ἀποδοίη Σωκράτει δικαίως, τούς τ' ἐπακτικοὺς λόγους καὶ τὸ ὁρίζεσθαι καθόλου.

Etenim aut nihil in vita sua Socrates egit aut effecit ut homines, imprimis amici, animum excolerent, virtuti studerent. Haec eius ars erat, ut homines, quatenus homines erant, et quatenus artifices erant, eius consuetudine meliores fierent. Initium semper fiebat inde ut in eorum mores, vitae rationem, facta diligenter et accurate inquireret, inquisitione autem facta, eos incitaret et stimularet ut suae sibi vitae rationem redderent (Plat. Laches 188), animum excolerent (Ap. Plat.

[1]) Haec dexteritas atque in disserendo versutia Aristophani in Nubium ἀγῶνι componendo ansam praebuisse videtur.

30 E.) ipsi vero inquirendo operam darent, Ratione Duce in vita omnia peragerent, quae ratione duce peragenda sunt. Et quamquam διαλέγεσθαι et συνεῖναι et συνδιατρίβειν non idem est atque artem pecunia tradere, omnia eo redibant, ut iuvenes, qui eius consuetudine fruerentur, eius quaestiunculis responsa dare sustinerent (Plat. Alcib. 127 E. Ἀλ. Τί οὖν τὸν αἰσθόμενον χρὴ ποιεῖν, ὦ Σώκρατες; Σωκ ἀποκρίνεσθαι τὰ ἐρωτώμενα κ. τ. λ.), in philosophia morali (Aulus Gellius XV. 20. 4) et ad dicendum atque agendum instituerentur (Mem. IV. 5. 1. πρακτικωτέρους; IV. 6. 1. διαλεκτικωτέρους; IV. 3. 1. λεκτικοὺς καὶ πρακτικούς). Optimum exemplum Alcibiades et Critias praebuerunt, Mem. I. 2. 15—16.

Philosophia enim intellectus humanus atque ars dicendi excoluntur, quae nos, si non in omnibus, attamen permultis in rebus adiuvare possunt. Totus liber tertius Memorabilium hoc nos docet. Immo artifices quoque ea intellegentia iuvantur (Mem. III. 10).

Quamquam ne Platonicus quidem Socrates omnem sapientiam videtur sibi denegare, cf. Plat. Ap. 20 D. διὰ σοφίαν τινὰ τοῦτο τὸ ὄνομα ἔσχηκα. ἥπερ ἐστὶν ἴσως ἀνθρωπίνη σοφία. cf. Mem. I. 1. 11; I. 2. 18. περὶ ἀρετῆς καὶ τῶν ἄλλων ἀνθρωπίνων. Quae cum ita sint, disputationem nostram apte conficere et absolvere possumus. Cardo rerum hic est, quod Socrates *palam confitetur* παιδείαν vitae suae opus atque studium fuisse. Hanc autem confessionem falsam esse atque veritate indigere nemo iam contendet. Quod autem liberrime suam de vita sua sententiam profert, quod aperte atque ingenue illa confitetur, hoc non respondere aiunt Socrati Platonico. Meminerimus autem in Apologia Xenophontea acerbum nostrum Socratem ab adversariis quasi leonem quendam lacessitum, omni dissimulatione atque ironia remota, ex animi sententia et liberrimum in modum causam suam defendere. Quid est igitur quod miremur? An, quominus haec ita dicta esse sumamus, retineri nos patiemur verbis illis apud Platonem obviis, ubi bellus ille Socrates — atque numquam non facetus — dissimulationis plenus atque ironiae, negat se quicquam sapientiae habere (Theaet. 150 C)? Nostra sententia is, qui per triginta vel quadraginta annos τὰ αὐτὰ περὶ τῶν αὐτῶν λέγει, non sine aliqua scientia vel sapientia esse potest, quod optime illustratur hisce verbis ex Apol. Xen.

petitis (16—17): *σοφὸν δὲ πῶς οὐκ ἄν τις εἰκότως ἄνδρα φήσειεν εἶναι, ὃς ἐξ ὅτουπερ ξυνιέναι τὰ λεγόμενα ἠρξάμην, οὐπώποτε διέλιπον καὶ ζητῶν καὶ μανθάνων ὅτι ἐδυνάμην ἀγαθόν; ὡς δὲ οὐ μάτην ἐπόνουν, οὐ δοκεῖ ὑμῖν καὶ τάδε τεκμήρια εἶναι, τὸ πολλοὺς μὲν πολίτας τῶν ἀρετῆς ἐφιεμένων, πολλοὺς δὲ ξένων ἐκ πάντων προαιρεῖσθαι ἐμοὶ ξυνεῖναι;*

Talia verba vera indignatione trementia simulatae belli atque urbani Socratis Platonici modestiae praeferenda esse censeo.

§ 16. I. De amicis Socrati advocatis et pro eo testantibus.

In Apol. Xen. 22 legimus: *Ἐρρήθη μὲν δῆλον ὅτι τούτων πλείονα ὑπό τε αὐτοῦ καὶ τῶν συναγορευόντων φίλων αὐτῷ.*

De his quoque verbis controversia orta est.

Apud O. M. FEDDERSEN, Diss. Jena 1907, pag. 30 legitur: „*Συναγορεύοντες φίλοι* neque aut deprecatores (Wilamowitz, Beyschlag) aut testes (Ad. Menzel) vel similes quidam aut ceteri scriptores Socratis Apologiarum (Kaibel Hermes XXV 1890, 581) velut Lysias, Theodectes, alii sunt habendi, sed Xenophontis auctores nihil aliud quam Hermogenes referentes ob eamque causam cum eo consentientes" [1]). Praeterea asseverat „nusquam hoc verbum pro testari in iudicio usurpatum" se repperisse, „quod vulgo verbo *συνηγορεῖν* exprimitur". Contra quae haec monenda: ab eiusmodi novitate Xenophontem non abhorrere. Permulta verba nova atque inaudita apud eum legi. In verbo *συναγορεύειν* sensu testandi talem usum non esse inusitatum.. Hoc demonstrari e. g. his locis: Thuc. 6. 6.; 8. 84. Plut. 2. 841 E. Testes autem et advocatos in iudicio adfuisse manifestum esse ex locis sequentibus in Apol. Plat.

Apol. 21 A. *καὶ τούτων πέρι ὁ ἀδελφὸς ὑμῖν αὐτοῦ οὑτοσὶ μαρτυρήσει* (digito monstrat!), *ἐπειδὴ ἐκεῖνος τετελεύτηκεν.*

---

[1]) Quodsi autem sumimus *τοὺς συναγορεύοντας* esse auctores Xenophontis, eos *omnes* amicos fuisse Hermogenis necesse est — *φίλων αὐτῷ* = Hermogeni —, neque sermo esse potest de multis auctoribus sed de *uno* tantummodo, i. e. de Hermogene, cuius amici eius verba probabant, id quod Feddersen diserte exponere debebat.

Apol. 33 E. Socrates noster Platonicus, etsi ἀτεχνῶς ξένως ἔχει τῆς ἐνθάδε λέξεως — optimus dissimulator! — tempus sibi datum ad orationem habendam, neque ei solum, sed etiam advocatis et amicis pro eo testantibus, offert adversariis, ut homines, quos ipse Socrates indicat, Meletus pro se testantes producat et verba facere cogat. Quod est artificium in rebus iudicialibus usitatissimum (vid. adnotationem in ed. Schanzii), cf. e. g. Lysias, 20, 11 εἴ τις βούλεται ἐν τῷ λόγῳ τῷ ἐμῷ μαρτυρησάτω. Quae hac in re apud Platonem verba maximi momenti sunt, ea tantum afferemus [1]: καὶ ἄλλους ἐγὼ ἔχω ὑμῖν εἰπεῖν, ὧν τινὰ ἐχρῆν μάλιστα μὲν ἐν τῷ ἑαυτοῦ λόγῳ παρασχέσθαι Μέλητον μάρτυρα — *neque ego in mea aqua!* —, εἰ δὲ τότε ἐπελάθετο, νῦν παρασχέσθω, ἐγὼ παραχωρῶ, καὶ λεγέτω, εἴ τι ἔχει τοιοῦτον. cf. praeterea 34 B. οἱ δὲ ἀδιάφθαρτοι, πρεσβύτεροι ἤδη ἄνδρες, οἱ τούτων προσήκοντες, τίνα ἄλλον ἔχουσι λόγον β ο η θ ο ῦ ν τ ε ς ἐμοὶ ἀλλ' ἢ τὸν ὀρθόν τε καὶ δίκαιον, ὅτι ξυνίσασι Μελήτῳ μὲν ψευδομένῳ, ἐμοὶ δὲ ἀληθεύοντι;

Cum adsunt amici ostendunt Socratis causam sibi cordi esse, praesentia sola ei auxilio veniunt (βοηθοῦντες). *Verba* quoque nonnullos pro reo fecisse, testimonium dixisse, efficiendum esse videtur e verbis: ἐν τῷ ἑαυτοῦ λόγῳ, quibus verbis iam opposuimus: neque ego in mea aqua. Alii loci, ubi de testibus sermo est, nos non multum iuvare possunt (20 E, 31 C). Postremo 32 E: καὶ τούτων ὑμῖν ἔσονται πολλοὶ μάρτυρες, qui locus eisdem fere verbis enuntiatus est atque 21 A: καὶ τούτων πέρι ὁ ἀδελφὸς ὑμῖν αὐτοῦ οὑτοσὶ μαρτυρήσει. Non probare igitur possum viros doctos, qui 32 E. ὑμῖν per coniecturam mutant in ὑμῶν. (Hermann, Schanz. l. l 180). Ambobus locis testes affirmaturi sunt Socratem verum dixisse. Quamquam fortasse hoc loco (32 E) Plato aequales suos alloqui magis quam Socrates suae pertinaciae iudicibus testes praebere putandus est.

Aliunde nobis de testibus nihil innotuit — posteriores scriptores velut Diog. Laert. II. 41. sciens praetereo —, nisi forte in Gorg. dialogo 471 E. Socratis causa Platoni ante oculos ver-

[1]) Inveni iam Gomperzium (Verhandl. d. 43 Versammlung deutsch. Philol. und Schulmänner in Köln 1896, 74) hunc locum attulisse; „In stilisierter Andeutung" ait, ut ipsius verbis utar, indicantur οἱ συναγορεύοντες.

sabatur. Ratio et modus convincendi, quibus oratores et accusatores in iudicio utuntur, Socrati nihili esse videtur: *καὶ γὰρ ἐκεῖ οἱ ἕτεροι τοὺς ἑτέρους δοκοῦσιν ἐλέγχειν, ἐπειδὰν τῶν λόγων ὧν ἂν λέγωσι μάρτυρας πολλοὺς παρέχωνται καὶ εὐδοκίμους, ὁ δὲ τἀναντία λέγων ἕνα τινὰ παρέχηται ἢ μηδένα.* Alibi quoque Socratis causa et habitus in iudicio respici videntur, imprimis praeclaro loco in Theaeteto 172—174, cf. Gorg. 521, 522. Nunc quoque *ὁ δὲ τἀναντία λέγων* idem esse atque Socrates mihi videtur, eo magis, quod statim post haec verbum adhibetur, quod suspicor e Xenophontis Apologia 24 desumptum esse, *καταψευδομαρτυρηθείη* dico. Utique verbum habet colorem Xenophonteum. Qua suspicione cum nova quaestio oriatur neque quicquam agere exemplum quod litem lite resolvat nobis persuasissimum sit, locum et verbum *indicavisse* satis habebo.

Testes pro Socrate reo verba fecisse praeterea ex eo pro certo efficere prohibet illud *ἢ μηδένα.*

Postremo non sine magno gaudio vidi Maierium verba ex Apol. Xen. 22. allata isdem fere argumentis defendere contra eos viros doctos qui locum impugnaverunt.

§ 17. PARS TERTIA; LITIS AESTIMATIO.

De amicis Socrati ut aufugiat suadentibus.

In Apologia Xenophontis 23 legimus:

ἔπειτα τῶν ἑταίρων ἐκκλέψαι βουλομένων αὐτὸν οὐκ ἐφείπετο, ἀλλὰ καὶ ἐπισκῶψαι ἐδόκει ἐρόμενος, εἴ που εἰδεῖέν τι χωρίον ἔξω τῆς Ἀττικῆς, ἔνθα οὐ προσβατὸν θανάτῳ.

Non ignorabat senex mortem sibi instare, quam paululum subterfugere non tanti erat. Responsum facete, ironice, acerbe dictum Xenophon nobis servavit. Platonis dialogus cui titulus Criton eadem de re agit, non autem nobis eiusmodi dictum exhibet, sed pulchram suasorium et praestantissimarum sententiarum plenam.

Crit. 44 B. legimus: *ἀλλ', ὦ δαιμόνιε Σώκρατες, ἔτι καὶ νῦν ἐμοὶ*

πείθου καὶ σώθητι. Quomodo haec vertenda? Toties iam tibi persuadere frustra conati sumus. Ultimum nunc hoc te rogo ut tibi consulas; etenim facultas datur adhuc.

Criton haec dixit.

At idem ille Criton in Phaedone 115 D. dicitur iuratus fidem interposuisse Socratem in custodia mansurum esse: *Ἐγγυήσασθε οὖν με πρὸς Κρίτωνα, ἔφη, τὴν ἐναντίαν ἐγγυὴν ἢ ἣν οὗτος πρὸς τοὺς δικαστὰς ἠγγυᾶτο· οὗτος μὲν γὰρ ἦ μὴν παραμενεῖν, ὑμεῖς δὲ ἦ μὴν μὴ παραμενεῖν ἐγγυήσασθε, ἐπειδὰν ἀποθάνω κ. τ. λ.*

Nusquam tamen in Critone Socrates hoc ei iusiurandum obicit. Quod argumentum e silentio hic aliquid mihi valere videtur. Neque vero intellego, quomodo alius locus in Critone cum illis verbis e Phaedone congruere possit, dico 44 E: *ἆρα γε μὴ ἐμοῦ προμηθεῖ καὶ τῶν ἄλλων ἐπιτηδείων, μὴ ἐὰν σὺ ἐνθένδε ἐξέλθῃς οἱ συκοφάνται ἡμῖν πράγματα παρέχωσιν ὥς σε ἐνθένδε ἐκκλέψασιν καὶ ἀναγκασθῶμεν ἢ καὶ πᾶσαν τὴν οὐσίαν ἀποβαλεῖν ἢ συχνὰ χρήματα, ἢ καὶ ἄλλο τι πρὸς τούτοις παθεῖν;*

Sycophantis enim opus non erat, neque ignorat quantum et quale periculum sibi immineat. Valde admirationem movere debent haec quoque verba: Crit. 45 A. *ἡμεῖς γάρ που δίκαιοί ἐσμεν σώσαντές σε κινδυνεύειν τοῦτον τὸν κίνδυνον καί, ἐὰν δέῃ, ἔτι τούτου μείζω.*

Dialogus Criton omnino ignorare videtur ius iurandum, quod in Phaedone Critoni datur. Hac ergo quoque in re Plato sibi non constanter dicit. Fortasse igitur melius est facere cum Diogene Laertio II 60, II 35, III 36., qui teste Idomeneo asseverat non Critonem sed Aeschinem hanc operam dedisse amicis incitantibus.

Postremo subiungemus similitudinem qua agitur *de morte quae non potest aufugi.* Ironice et acerbe Socrates rogabat num quis locus esset extra Atticam, ad quem mors accedere non posset: *χωρίον ἔξω τῆς Ἀττικῆς, ἔνθα οὐ προσβατὸν θανάτῳ.* Ad amicos haec! Post defensionem! Idem resonare videtur apud Platonem in ipsa defensione 35 A, ubi Socrates loquitur de hominibus qui accusati *θαυμάσια ἐργάζονται ὡς δεινόν τι οἰομένους πείσεσθαι εἰ ἀποθανοῦνται ὥσπερ ἀθανάτων ἐσομένων ἂν ὑμεῖς αὐτοὺς μὴ ἀποκτείνητε.*

Uterque scriptor eandem sententiam exhibet non autem eodem loco. Bis igitur hoc a Socrate dictum?

An alteruter mentitus est?

De Socrate recusante quominus litem sibi aestimet iam disputavimus (vid. supra).

§ 18. PARS QUARTA; QUAE POST DAMNATIONEM DIXERIT.

A De adversariorum, testium, iudicum condemnantium iniuria; de damnatione, quae non Socrati sed iudicibus ignominiae est.

Apol. Xen. 24.

Ὡς δὲ τέλος εἶχεν ἡ δίκη εἰπεῖν αὐτόν· Ἀλλ', ὦ ἄνδρες, τοὺς μὲν διδάσκοντας τοὺς μάρτυρας, ὡς χρὴ ἐπιορκοῦντας καταψευδομαρτυρεῖν ἐμοῦ, καὶ τοὺς πειθομένους τούτοις ἀνάγκη ἐστὶ πολλὴν ἑαυτοῖς συνειδέναι ἀσέβειαν καὶ ἀδικίαν.

Apol. Plat. 39 B.

καὶ νῦν ἐγὼ μὲν ἄπειμι ὑφ' ὑμῶν θανάτου δίκην ὀφλών, οὗτοι δ' ὑπὸ τῆς ἀληθείας ὠφληκότες μοχθηρίαν καὶ ἀδικίαν.

Apol. Plat. 38 C.

λέγω δὲ τοῦτο οὐ πρὸς πάντας ὑμᾶς, ἀλλὰ πρὸς τοὺς ἐμοῦ καταψηφισαμένους θάνατον.

Apud utrumque scriptorem post damnationem haec dicuntur. Differunt inter se hac in re, quod apud Xenophontem non solum iudices, qui Socratem condemnaverunt, sed etiam adversarii et testes iniuriam fecisse dicuntur. Deinde Socrates Xenophonteus non separatim iudices adloquitur, quod Socratem Platonicum facere miramur. Mihi quidem displicet illud *οὗτοι*. Quinam sunt illi „isti". Antecedit enim *ὑμεῖς* (*ὑφ' ὑμῶν*), hi autem sunt iudices, et quid sibi vult deinde illud *οὗτοι*? Indicare videtur partem iudicum qui condemnaverunt, quae pars separatim adstare videtur, cf. 39 C D., vel separatim adstare *fingitur*.

Quod autem Socrates Xenophonteus iudicibus impietatem obicit, id Socrates Platonicus (in ipsa defensione 35 C) non quidem

imitatus est, sed tamen eiusmodi quid locutus est. „Flectere vos iudices et mollire precibus meum non duxi. Summo iure vobis ius dicendum est. Quodsi precibus et blandimentis vos moveri et leniri sinitis, iusiurandum vestrum violatis. Nolite ergo a me postulare ut vos ad talem impietatem impellam, eo minus, quod ipse impietatis accusor. Sic enim re vera dignus essem qui eo crimine condemnarer."

Agnoscimus ironiam Platonicam.

Similitudinem indicare nostrum erat, quae imprimis vocabulis, quae sunt ἐπιορκεῖν, εὐσεβοῖεν (Apol. Plat. 35 C.), manifesta fit. Eadem enim apud Xen. leguntur loco laudato.

Damnationem iudicibus ignominiae esse et futuram esse, si non isdem verbis, attamen similiter apud utrumque scriptorem exprimitur.

Apol. Xen. 26.

οὐ γὰρ ἐμοί, ἀλλὰ τοῖς καταγνοῦσι τοῦτο αἰσχρόν ἐστιν.

Apol. Plat. 38 C.

οὐ πολλοῦ γ' ἕνεκα χρόνου, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ὄνομα ἕξετε καὶ αἰτίαν ὑπὸ τῶν βουλομένων τὴν πόλιν λοιδορεῖν, ὡς Σωκράτη ἀπεκτόνατε, ἄνδρα σοφόν· φήσουσι γὰρ δή με σοφὸν εἶναι, εἰ καὶ μή εἰμι, οἱ βουλόμενοι ὑμῖν ὀνειδίζειν.

Postremo in utraque Apologia dilucet superbiam a Socrate post damnationem non esse remissam.

Apol. Xen. 24.

ἐμοὶ δὲ τί προσήκει νῦν μεῖον φρονεῖν ἢ πρὶν κατακριθῆναι, μηδὲν ἐλεγχθέντι, ὡς πεποίηκά τι ὧν ἐγράψαντό με;

Apol. Xen. 26.

ἀλλ' οὐδὲ μέντοι ὅτι ἀδίκως ἀποθνήσκω, διὰ τοῦτο μεῖον φρονητέον.

Apol. 38 E.

οὔτε νῦν μοι μεταμέλει.

Rustica illa Socratis Xenophontei acerbitas et superbia a Platone nonnihil mitigata est. Apud eum igitur verba paulo mitiora legimus.

§ 19. B. De Palamede.

Apol. Xen. 26.

παραμυθεῖται δέ τί με καὶ Παλαμήδης ὁ παραπλησίως ἐμοὶ τελευτήσας· ἔτι γὰρ καὶ νῦν πολὺ καλλίους ὕμνους παρέχεται Ὀδυσσέως τοῦ ἀδίκως ἀποκτείναντος αὐτόν.

Apol. Plat. 41 A. B.

ἐπεὶ ἔμοιγε καὶ αὐτῷ θαυμαστὴ ἂν εἴη ἡ διατριβὴ αὐτόθι, ὁπότε ἐντύχοιμι Παλαμήδει καὶ Αἴαντι τῷ Τελαμῶνος καὶ εἴ τις ἄλλος τῶν παλαιῶν διὰ κρίσιν ἄδικον τέθνηκεν, ἀντιπαραβάλλοντι τὰ ἐμαυτοῦ πάθη πρὸς τὰ ἐκείνων, ὡς ἐγῷμαι, οὐκ ἂν ἀηδὲς εἴη.

Socrates Xenophonteus, postquam demonstravit innocentem se reum a iudicibus damnatum esse, solacium petit e morte alterius hominis, immo herois; contextus recte se habet: „Non mihi, Socrates inquit, damnatio mea ignominiae est. Fuere alii viri quos „a lupis circumventos'' iniustissime „demisere neci'' — neque mihi soli hoc obtigit —. Inter quos fuit et Palamedes, quem poetae etiamnunc carminibus celebrant. Sic me quoque clarum nomen claraque fama manet.'' Socrates Platonicus e contrario se non consolatur fato et fama Palamedis, sed profitetur se non sine voluptate sua fata cum vita Palamedis, Aiacis, aliorum collaturum esse. Hoc gaudium adnumeratur aliis gaudiis, quae apud inferos Socrates percepturus est. Mihi videtur hoc esse singulare aliquid et prope inhumanum; sic enim levissimum in modum loqui hominem *modo* damnatum omni omnium hominum naturae repugnat.

Praeterea apud Platonem displicet quod, ut opinor, ubertate et levitate quadam fingendi et exornandi, Aiacem addit. Minus recte inter se comparantur Aiax et Socrates. Ille enim ipse sibi manus intulit, spretus, laesus, nimio gloriae et honoris studio correptus, quod non post Achillem primum locum apud Achivos obtineret. Hanc sibi iniuriam illatam esse putabat. Non autem ab aliis damnatus

est neque „*heroice*" interfectus. Alio loco [1]) iam observavimus contextum apud Platonem minus placere, quod paulo post Palamedem eius adversarius et inimicissimus commemoratur atque is in eadem regione versans.

Videmus hac quoque in re quae Xenophon tradit veriora videri, quae Plato exhibet pulchriora quidem esse, non autem veritatis speciem prae se ferre.

Nunc quoque, quod iam saepius suspicati sumus, verba, quae apud Xenophontem invenit liberius in sua scripta transtulit? Utique vincula deprehendimus. Verbum *παραμυθεῖσθαι* in alio dialogo Plato adhibet, dico in Phaedone, qui dialogus nonnulla vocabula cum Apol. Xenophontea communia habet [2]).

Phaedo 83 A. *ἡ φιλοσοφία τὴν ψυχὴν ἠρέμα παραμυθεῖται* cf. Phaed. 70 B.

Sed haec similitudo, a viris doctis commemorata, mihi quidem non magni facienda videtur, nihil enim argumenti ex ea elici potest, propterea quod et apud Platonem et apud Xenophontem verbum saepius occurrit.

Aliud vinculum mihi videre videor in adverbio *παραπλησίως* Ap. Plat. 37 A: *ἴσως* — — *παραπλησίως δοκῶ λέγειν κ. τ. λ*, Ap. Xen. 26: *ὁ παραπλησίως ἐμοὶ τελευτήσας.*

Haud ita saepe scriptores nostri hoc adverbio utuntur. Non sic temere fortasse accidit ut in utraque apologia — in parvis libellis — scriberetur. Memoriane retinuit adverbium Plato postquam Apol. Xen. perlegit?

Sed ne haec quidem similitudo magni facienda est. Maioris autem momenti est, quod in Mem. Xen. IV. 2. 33. iterum Palamedes nominatur et idem vocabulum quod in Apol. Plat. 41 AB. legitur sc. *πάθη*: *Τὰ δὲ Παλαμήδους οὐκ ἀκήκοας πάθη; τοῦτον γὰρ δὴ πάντες ὑμνοῦσιν ὡς διὰ σοφίαν φθονηθεὶς ὑπὸ τοῦ Ὀδυσσέως ἀπόλλυται.*

Hoc quidem vinculum est inter Platonem et Xenophontem quod non possumus neglégere neque silentio praeterire. Vocabulum

---

[1]) Vid. Cap. II § 9.

[2]) Vid. Cap. III § 7, § 20.

πάθη tragoediam redolet. Optime igitur apud Xenophontem de Palamede, quem nemo non in theatro viderat, adhibetur. Contra apud Platonem Socrates, ipse heros factus, de se met ipso loquitur, ipse scilicet poetis tragicis materiem praebiturus. Utique sollemne illud vocabulum *πάθη* satis tragicum spirat! Quod Platoni haud inusitatum erat. Talibus vocabulis ironiam suam exornat, quod optime videmus fieri in Phaedone 96 A, ubi Plato physicos ludibrio habet. Praemittit haec verba: *ἐγὼ οὖν σοι δίειμι περὶ αὐτῶν, ἐὰν βούλῃ, τά γε ἐμὰ πάθη.*

Ipsum autem Socratem non sine aliqua ironia de se met ipso, quasi de quodam heroe tragico, locutum esse, quamquam *paulo ante morte damnatus erat,* mihi quidem incredibile est.

Omnia quae sunt ex eo genere ipsi Platoni debentur, qui aliquot annis post sic loqui potuit aut, quod eodem redit, Socratem ita loquentem inducere non verebatur.

Quaeritur autem quomodo hi tres loci cohaereant. Primum statuendum est locos qui in utraque Apologia leguntur consanguinitatem aliquam habere; deinde negari non potest locum in Mem. arte cohaerere cum loco in Apol. Xen. Hoc indicant verba *τοῦτον γὰρ δὴ πάντες ὑμνοῦσιν ὡς διὰ σοφίαν φθονηθεὶς ὑπὸ τοῦ Ὀδυσσέως ἀπολλυται* hisce collatis: *ἔτι γὰρ καὶ νῦν πολὺ καλλίους ὕμνους παρέχεται Ὀδυσσέως τοῦ ἀδίκως ἀποκτείναντος αὐτόν* [1]).

Non igitur temerarium videri potest a nobis locum in Mem. cum verbis in Apol. Plat. comparari. Suspicamur igitur Platonem, antequam Apologiam composuit, non solum Apologiam Xenophontis sed etiam Memorabilia perlegisse et ex eis *tanquam ex aridis Annalibus* materiam hausisse pulchris, facetis, ingeniosissimis suis fabulis.

Haec quoque quaestio in proximo capite fusius tractabitur.

---

[1]) Bis haec a Socrate dicta? Non incredibile est Socratem, qui *τὰ αὐτὰ περὶ τῶν αὐτῶν* dicere solebat et semper isdem comparationibus et exemplis utebatur, saepius casus Palamedis commemorasse. Fortasse quoque locus in Apol. Xen. genuit locum in Mem. et Xenophonti illius loci in mentem venit, cum haec scriberet, et exemplum ei aptum visum est quod disputationi insereret. Quae suspicio cum aliis multis quaestionibus tractanda non indigna videbatur quae commemoraretur.

Quominus autem sumamus Xenophontem ex Apol. Platonica nomen Palamedis in suum opus transtulisse, nos permulta impediunt.

Primum aliae sunt permultae similitudines, de quibus supra disputavimus et ex quibus fides historica Xenophontis elucere nobis videbatur. Neque enim separatim similia et dissimilia disputanda sunt. Deinde miramur Xenophontem non et Aiacem nominavisse; tum praeter nomen in Apologia Xenophon nihil cum Platone commune habet. Contextus non idem est. Aut ea omnia excogitavisse et finxisse Xenophon putandus est, *aut ipsi ex suis auctoribus aliter et melius verba defensionis et res, quomodo gestae essent, innotuerunt.* Nisi forte tertius scriptor utriusque fons fuit, quod autem statim reicio. De consulto enim Xenophontem omnia, quae ex Hermogene accepit quaeque sine ullo verborum ornatu tradidit, mentitum esse et ex aliis scriptoribus furatum esse credere non possum. Nullam enim causam scribendi eiusmodi scripti video, nisi quod lucem afferre X. voluit rei ab aliis scriptoribus non satis illustratae sc. τῇ μεγαληγορίᾳ.

Plato autem erat qui fabulam componebat. Xenophon relata refert suis auctoribus fretus. Non dubitamus igitur quin is, qui liberius scripsit, alterius scriptis quasi idoneis fontibus usus sit.

Quoniam autem haec nostra suspicio cum aliis multis tractanda est et attingit quaestionem quae agit de ratione quae inter Xenophontem et Platonem intercedit, nunc satis habebo commemorasse eam et defendisse Xenophontis auctoritatem.

Unum nobis disputandum restat, quinam fuere illi hymni quibus poetae — et cives? — Palamedem celebrarent.

Quae apud Diog. Laert II. 44. et in Argumento Busir. Isocratis leguntur nos non multa iuvare possunt [1]). Fabella illa de Euripide tragoediam, cui titulus Palamedes erat, retractante fortasse ex hoc in Apologia Xen. loco originem traxit. Fortasse alii quoque scriptores hac de re scripserunt.

---

[1]) Diog. Laert. II 44 versus Euripidei laudantur:

ἐκάνετ᾽ ἐκάνετε τὰν πάνσοφον
τὰν οὐδὲν ἀλγύνουσαν ἀηδόνα Μουσᾶν.

Propterea autem quod satis incerta sunt quae apud scriptores posteriores leguntur, neque pro certo effici potest, num carmina illa ex Euripidis tragoedia[1]) Socrati ante oculos obversarentur, hanc quidem quaestionem libenter missam facimus.

Unum fortasse argumentum pro Xenophontis auctoritate ex iis scriptis posterioribus elici potest, sc. de *carminibus* ante iudices Socratem locutum esse, quae Palamedis virtutes et innocentiam laudarent.

Apud Platonem horum *carminum* mentio *non* fit.

§ 20. PARS QUINTA; QUAE ABIENS DIXERIT.

A. De Apollodoro.

In Apol. Xen. 28 legimus: *παρὼν δέ τις Ἀπολλόδωρος, ἐπιθυμητὴς μὲν ὢν ἰσχυρῶς αὐτοῦ, ἄλλως δ' εὐήθης, εἶπεν ἄρα· Ἀλλὰ τοῦτο ἔγωγε, ὦ Σώκρατες, χαλεπώτατα φέρω, ὅτι ὁρῶ σε ἀδίκως ἀποθνήσκοντα. τὸν δὲ λέγεται καταψήσαντα αὐτοῦ τὴν κεφαλὴν εἰπεῖν· Σὺ δέ, ὦ φίλτατε Ἀπολλόδωρε, μᾶλλον ἂν ἐβούλου με ὁρᾶν δικαίως ἢ ἀδίκως ἀποθνήσκοντα; καὶ ἅμα ἐπιγελάσαι* [2]).

Quibuscum conferenda quae in Plat. Phaed. 89 A inveniuntur: *ἔτυχον ἐν δεξιᾷ αὐτοῦ καθήμενος παρὰ τὴν κλίνην ἐπὶ χαμαιζήλου τινός, ὁ δὲ ἐπὶ πολὺ ὑψηλοτέρου ἢ ἐγώ. καταψήσας οὖν μου τὴν κεφαλὴν καὶ ξυμπιέσας τὰς ἐπὶ τῷ αὐχένι τρίχας   εἰώθει γάρ, ὁπότε τύχοι, παίζειν μου εἰς τὰς τρίχας   Αὔριον δή, ἔφη, ἴσως, ὦ Φαίδων, τὰς καλὰς ταύτας κόμας ἀποκερεῖ κ. τ. λ.*

---

[1]) Fabula, cui nomen Palamedes, auctore v. Wilamowitzio Her. I² 115 anno 415 data est.

[2]) Apud Diog. Laert. II. 35 hoc responsum datur eius uxori: *τῆς γυναικὸς εἰπούσης „ἀδίκως ἀποθνήσκεις", σὺ δέ, ἔφη, δικαίως ἐβούλου.*

Quae sic nude posita mihi videntur nimis acerbe dicta esse. Quae causa erat quod tanta cum duritia responderet? Apud Xenophontem quidem acerbitas responsi mitigata est verbis *καταψήσαντα αὐτοῦ τὴν κεφαλήν.*

Diog. Laert. ex alio scriptore haec hausisse arbitror; talia dicta Socratis permultis in *λόγοις* Socraticis celebrata esse; apud Xenophontem autem genuinum legi.

v. Wilamowitz (Hermes 32, 1897 pag. 99) qui severis admodum et superbis verbis de parvo nostro libello loquitur [1]), hunc quoque locum iniquissime condemnat, narratiunculam de Apollodoro apud Xen. obviam ex Plat. Phaed. 89 A et 117 D originem traxisse crudelis asseverat, immo talem imitationem rusticam et infacetam infra Xenophontis dignitatem esse putat: „dem Xenophon nun traue ich diese *plumpe Entlehnung* an sich nicht zu". Vir clarissimus nobiscum opinionem suam communicavit, argumenta autem non attulit. Cuiusmodi sententiae sic temere prolatae e gravitate, auctoritate, amplitudine auctoris pondus habentes, neque firmis documentis fretae, nimium fortasse studio rerum classicarum nocuerunt. Ubi autem certa indicia praesto non sunt, aliam vel prorsus contrariam sententiam aperire non sine utilitate erit. Igitur haec contra arbitramur.

Mihi verba, e Xen. Apologiae laudata, gustanti, etsi subamara et tristia visa sunt, tamen eleganter enuntiata verumque Xenophonteum colorem referre videbantur. Talem graecitatem me admirari libenter confiteor. Quod fortasse est iudicium indoctum neque integrum. Summus autem noster graecitatis — et imprimis Xenophontis — aestimator Cobet Apologiam „suavissimum Xenophontis scriptum" nominat. Bono ergo animo affirmo me hisce in verbis nihil rusticum neque perspicere posse neque sentire.

At imitatio ipsa infaceta est!

Uter imitatus sit ultimo capite tractabitur. Haec enim quaestio cum aliis multis coniuncta in censum venire debet. Nunc autem perhibemus responsum illud Socratis eiusdem farinae esse atque illud in § 23 *ἐπισκῶψαι ἐδόκει ἐρόμενος, εἴ που εἰδείέν τι χωρίον ἔξω τῆς Ἀττικῆς, ἔνθα οὐ προσβατὸν θανάτῳ* [2]), quod a nonnullis propter notissimam ironiam verum habitum est, utique acerbi nostri Socratis proprium est; deinde optime quadrare hanc narratiun-

---

[1]) Dissertatiuncula eius hisce verbis finitur: „Da ich aber sah, wie das Ding (!) plötzlich als ein Hauptstück Xenophontischer Kunst und ältester Sokratik immer mehr zu Ehren kam, schien es mir angezeigt, für das Urtheil der älteren Philologen generatim einzutreten".

[2]) Moneo apud Platonem Apol. 35 A simile quid inveniri *ὥσπερ ἀθανάτων ἐσομένων, ἂν ὑμεῖς αὐτοὺς μὴ ἀποκτείνητε.* Echo resonans? cf. Cap. III § 17.

culam in hunc locum atque omnia optime decurrere et rerum serie sua sponte orta et nata esse videri. Illud *καὶ ἅμα ἐπιγελάσαι*, et responsum illud Socratis, decent hominem qui abiit *καὶ ὄμμασι καὶ σχήματι καὶ βαδίσματι φαιδρός*. Contra suspicor Platoni Apol. Xen. perlegenti hanc de Apollodoro narratiunculam penitus in mente inhaesisse, deinde ea, quae a Xenophonte simpliciter admodum et sic nude de Apollodoro tradebantur, a summo nostro scriptore aucta, exornata, amplificata et multo magis pulchra facta esse in componenda fabella, cui nomen Phaedo.

Utique utroque loco Plat. Phaed. 117 D, Ap. Xen. 28 et Apollodorum flere, Socratem autem nullam lacrimam profundere, sed vultu immoto verba quaedam frigida edere, mirationem movet et facile suspicio oritur hac in re rationem aliquam intercedere inter Platonem et Xen. Neque solum verba ad Apollodorum pertinentia sed *totus contextus utriusque loci* docere videtur *alterum alterum respicere.*

Non ignoro me nunc suspicionem proferre quae ingratissima erit Irascentur mihi viri docti, sat scio, suspicanti ex imitatione aliquatenus natum esse locum in Platonicis dialogis omnium pulcherrimum. Nos autem pulchritudine loci non retinebimur quin his quoque in locis pro nostra virili officio nostro fungamur i. e. similia indicare et investigare, sic ut ratio fert, unde exstiterint.

In Apol. Xen. Socrates *admirabundus* interrogat amicos et eos adloquitur verbis *duris* et *frigidis*: *Τί τοῦτο; εἰπεῖν αὐτόν, ἢ ἄρτι δακρύετε; οὐ γὰρ πάλαι ἴστε, ὅτι ἐξ ὅτουπερ ἐγενόμην, κατεψηφισμένος ἦν μου ὑπὸ τῆς φύσεως ὁ θάνατος;* Haec in mentem revocant notissimum responsum alterius duri hominis, qui morte filii audita non ignorasse aiebat se mortalem eum genuisse. Neque in nostro Socrate miranda sunt haec.

In Phaed. Plat. Socrates *ipse tranquillus admiratur*, quod amici lacrimas non iam tenere possunt: *Οἷα, ἔφη, ποιεῖτε, ὦ θαυμάσιοι κ. τ. λ*

Quae similia si coniungimus etiam cum loco in Phaedone, ubi Socrates Phaedoni caput demulcet, non possunt non vivide admirationem movere.

Bis haec ita a Socrate facta et dicta? An alteruter mentitus est et commenticia nobis proponit? Nescimus. Illud autem mihi videtur valde incredibile. Praeterea καταψᾶν semel tantum legitur et apud Platonem et apud Xenophontem.

Sumamus igitur necesse est alterutrum imitatum esse. Libenter hoc viri docti obicere solebant Xenophonti vel scriptori libelli, cui titulus Apol. Xenophontea. Hunc enim libellum aliquot annis ante arbitrabantur ab ignoto quodam scriptore consarcinatum esse, qui imitator erat Platonis et plagiarius. Sensim tamen ea opinio mutata est (vid. praefationem). Nos quoque operam dedimus, ut demonstraremus falsam esse eam sententiam, re vera libellum a Xenophonte esse scriptum, contra Platonem e Xenophonte hausisse (vid. plura in ultimo capite).

Nunc vero *coniunctim* hae omnes similitudines sunt contemplandae — et interpretandae, non *separatim*. Omnes *uno ordine* habebimus. Et, quoniam certa indicia et argumenta imitationis afferri posse non videntur in hac nostra de Apollodoro controversia, reliquum est ut ex analogia, ut aiunt, statuamus Platonem in hoc quoque pulcherrimo loco componendo profectum esse a simili loco in Apol. Xen.

Ne moleste ferant viri docti me nunc exprobrare Platoni, quod alii multis plaudentibus Xenophonti vulgo crimini dabant!

Alias quoque suspiciones in medium proferre non pudebit, licet malevolae obtrectationis crimine accuser. Identidem, cum lego ea quae apud Platonem in eius Phaed. 59 A leguntur (καὶ πάντες οἱ παρόντες σχεδόν τι οὕτω διεκείμεθα ὁτὲ μὲν γελῶντες, ἐνίοτε δὲ δακρύοντες, εἷς δὲ ἡμῶν καὶ διαφερόντως, Ἀπολλόδωρος· οἶσθα γάρ που τὸν ἄνδρα καὶ τὸν τρόπον αὐτοῦ.), mihi videor deprehendere vestigium imitationis, quae se met ipsa dissimulare conatur cum rem melius et critice tractare simulat. Corrigit illud παρὼν δέ τις (Xen. Ap. 28). Xenophonti Apollodorus, si non ignotus, attamen intimus amicus fuisse non putandus est. Plato autem Socratis intimos optime se notos habere sic ostendere studet.

Ita quoque verba εἰώθει γάρ, ὁπότε τύχοι, παίζειν μου εἰς τὰς τρίχας (Phaed. 89 B) non mirer addita esse eam ob causam ut

fugeret lectorem ficta esse haec a Platone. Videntur verba prodere imitatorem, qui tali sententia, in parenthesi illustrandi et explicandi causa apposita, celare conatur de suo se aliquid confingere.

Saepius Plato eiusmodi quid addit, ubi novam atque inauditam rem a se excogitatam a crimine laesae fidei historicae tueri studet, cf. Symp. Plat. 174 A, ubi Socrates, quod omnibus maximam admirationem movisse credibile est, non *ἄλουτος*, non *ἀνυπόδητος*, sed calceatus et vestitus procedit, ut cum Catullo loquamur, „tanquam scurra aut si quid hac re tersius." Addit Plato ipse — non interpolator mehercle — *ἃ ἐκεῖνος ὀλιγάκις ἐποίει.*

Tertius locus, qui huc facit, legitur Phaed. 59 B: *Πλάτων δέ, οἶμαι, ἠσθένει*, quam excusationem cum Zellerio (Phil. d. griech. II, 1^{4}, 400 A 3) non veram esse suspicor.

Quibus locis non possum non recordari verba Timonis Sillographi apud Athenaeum XI 15, 505: *Ἄλλοι δέ φάσιν, ὡς ἀναγνοὺς Γοργίας τὸν Πλάτωνος διάλογον πρὸς τοὺς παρόντας εἶπεν, ὅτι οὐδὲν τούτων οὔτε εἶπεν, οὔτε ἤκουσε· ταῦτά φασι καὶ Φαίδωνα ἀναγνόντα τὸν περὶ ψυχῆς· διὸ καὶ καλῶς ὁ Τίμων περὶ αὐτοῦ ἔφη·*

Ὡς ἀνέπλαττε Πλάτων πεπλασμένα θαύματα εἰδώς.

Sed haec et alia ex eo genere ultimo capiti asservabuntur.

§ 21. B. De Anyto.

In Apol. Xen. 29. haec leguntur:

λέγεται δὲ καὶ Ἄνυτον παριόντα ἰδὼν εἰπεῖν· Ἀλλ' ὁ μὲν ἀνὴρ ὅδε κυδρός, ὡς μέγα τε καὶ καλὸν διαπεπραγμένος, εἰ ἀπέκτονέ με, ὅτι αὐτὸν τῶν μεγίστων ὑπὸ τῆς πόλεως ὁρῶν ἀξιούμενον οὐκ ἔφην χρῆναι τὸν υἱὸν περὶ βύρσας παιδεύειν. ὡς μοχθηρὸς οὗτος, ἔφη, ὃς οὐκ ἔοικεν εἰδέναι, ὅτι ὁπότερος ἡμῶν καὶ συμφορώτερα καὶ καλλίω εἰς τὸν ἀεὶ χρόνον διαπέπρακται, οὗτός ἐστι καὶ ὁ νικῶν.

In capite primo [1]) iam de hoc loco disputavimus et conati

---

[1]) Cap. I, § 3.

sumus interpretari, quomodo haec accipienda essent: saepe Socratem sibi inimicitias contraxisse dictis acerbis, neque solum apud Anytum odium implacabile ortum esse, sed etiam apud Critiam, apud Chariclem, et in universum apud permultos aequales. Vid. Mem. I. 2. 32. Mem. I. 1 30; Apol. Plat. 37 C. D; Theaet. 151 C. Plat. Gorg. 522 B: ἐάν τέ τίς με ἢ νεωτέρους φῇ διαφθείρειν ἀπορεῖν ποιοῦντα, ἢ· τοὺς πρεσβυτέρους κακηγορεῖν λέγοντα πικροὺς λόγους κ. τ. λ.

Nobis igitur haec narratiuncula, sicut aliae eiusdem generis, (Xen. Mem. I. 1. 30, I. 2. 32) vera esse videtur et libenter credimus permultos Athenienses Socrati ipsius acerbitate et mordacibus dictis inimicos factos esse.

Privato igitur odio commotus, nostra sententia, Anytus Socratem accusavit. Non autem incredibile est, immo admodum verisimile, Anytum arbitratum esse tales homines, qualis Socrates erat, ex urbe, ex civitate expellendos esse, quippe qui corrumperent iuvenes et magna rempublicam calamitate afficerent. Partim igitur Anytus *bona fide* hac in re agebat. Magis autem exasperatus erat contumeliosissimo Socratis dicto. Περὶ βύρσας παιδεύειν! Pater Anyti in ea arte, ut opinor, opibus, honoribus, auctoritate florebat. Et illa ars Anyto quoque sua gloria erat. Ecce autem homo sordidus, philosophus, unus τῶν ἀδολέσχων, de quibus Anytus, homo industrius et laboriosus, cui in opere vita erat, summo cum contemptu loqui solebat, vocabulo quod est coriarius utitur quasi quodam convicio! Et filius illum sordidum philosophum sectabatur neque patri in eius arte succedere volebat. Corruptus igitur erat ab illo Socrate. Anytus, homo promptus, rem publicam liberare statuit illa peste quae totam iuventutem corrumpebat et civitatem evertebat.

Haec nostra opinio est.

Aliis autem aliud videtur. Inter quos maximus adversarius est Henricus Maierius contra quem pro Xenophonte meo iam saepe et libenter, neque sine voluptate quadam, pugnavi. Is sine ulla verecundia locum nostrum condemnat, nimis severe, nimis superbe! Sine ulla verecundia inquam; ita, et sine ullo argumento. Ipsius verba haec sunt l. l. 468:

„*Die Geschichte ist natürlich glatt erfunden.* Nicht von Xenophon selbst — der hat sie bereits in der Sokratischen Literatur vorgefunden. Die Sokratesjünger hatten an Anytus, den sie im besonderen Sinn als den Mörder ihres Meisters verabscheuten, grausame Rache genommen. Wohl schon bald nacht der Katastrophe und dann aufs neue nach dem Erscheinen des Polykratespamphlets hatten sie auf den Mann Schmähungen und Nachreden in einem Masz gehäuft, dasz es selbst dem Plato, der im Menon (95 A) hierauf anspielt, zu arg würde. Daher offenbar stammt jene Anekdote: *Dasz an ihr kein wahres Wort war, beweist allein schon das Schweigen Platos.* Die Anytos-episode des Menon ist eine scharfe Satire auf den Groll des Anytos gegen Sophisten und sophistischen Unterricht. Hier wenn irgendwo war also Gelegenheit, auf jene Begegnung des Sokrates mit dem Feind der modernen Bildung einzugehen — wenn sie wirklich stattgefunden hatte. *Keine Silbe aber deutet darauf hin.*"

Summus rhetor Maierius, ut opinor, est et optimus causidicus. *Πειθώ ἐπὶ τοῖς χείλεσιν.*

Nobis autem restat ut demonstremus utrumque locum èt in Xen. Apol. èt in Plat. Menone alterum alteri vinculis coniunctum esse, quae arguunt eorum affinitatem et consanguinitatem.

In Xen. Apol. 29 legimus: ἀπέκτονέ με, ὅτι αὐτὸν τῶν μεγίστων ὑπὸ τῆς πόλεως ὁρῶν ἀξιούμενον οὐκ ἔφην χρῆναι τὸν υἱὸν περὶ βύρσας παιδεύειν.

Quibuscum conferenda sunt haec in Plat. Men. 90 B: αἱροῦνται γοῦν αὐτὸν ἐπὶ τὰς μεγίστας ἀρχάς.

Deinde mihi persuadere non possum forte accidisse ut et apud Xenophontem et apud Platonem vocabulum μοχθηρός his ipsis locis totiens adhiberetur.

In Apol. Xen. 29:	In Ap. Plat. 39 B.
ὡς μοχθηρὸς οὗτος, ἔφη, ὃς οὐκ ἔοικεν εἰδέναι κ. τ. λ. Deinde de filio accusatoris praedicit eum προβήσεσθαι μέντοι πόρρω μοχθηρίας.	οὗτοι δ' ὑπὸ τῆς ἀληθείας ὠφληκότες μοχθηρίαν.

Uterque scriptor de accusatoribus hoc vocabulo utitur. Praeterea occurrit in Apol. Plat. 25 E.: *καὶ τοῦτ' ἀγνοῶ ὅτι, ἐάν τινα μοχθηρὸν ποιήσω τῶν ξυνόντων κ. τ. λ.*

Suspicio statim oritur accusatores Socrati obiecisse ab eo iuvenes *μοχθηρούς* fieri, deinde Socratem eo ipso vocabulo usum esse in adversarios. Utique in Men. Plat. *ter* (91 E, 92 C) legitur ea significatione et Socrates eis locis eo vocabulo utitur de iuvenum depravatione vel mala educatione et institutione.

Men. 91 E: *καίτοι τέρας λέγεις, εἰ οἱ μὲν τὰ ὑποδήματα ἐργαζόμενοι τὰ παλαιὰ καὶ τὰ ἱμάτια ἐξακούμενοι οὐκ ἂν δύναιντο λαθεῖν τριάκονθ' ἡμέρας μοχθηρότερα ἀποδιδόντες ἢ παρέλαβον, ἀλλ' εἰ τοιαῦτα ποιοῖεν, ταχὺ ἂν τῷ λιμῷ ἀποθάνοιεν, Πρωταγόρας δὲ ἄρα ὅλην τὴν Ἑλλάδα ἐλάνθανεν διαφθείρων τοὺς συγγιγνομένους καὶ μοχθηροτέρους ἀποπέμπων* [1]) *ἢ παρελάμβανεν πλεῖν ἢ τετταράκοντα ἔτη.*

Plat. Men. 92 C: *ἀλλὰ γὰρ οὐ τούτους ζητοῦμεν τίνες εἰσίν, παρ' οὓς ἂν Μένων ἀφικόμενος μοχθηρὸς γένοιτο.*

De ipso adversario adhibitum *μοχθηρός* occurrit in Gorg. Plat. 521 C. ubi Socratis damnatio respicitur:

Ὥς μοι δοκεῖς, ὦ Σώκρατες, πιστεύειν μηδ' ἂν ἓν τούτων παθεῖν, ὡς οἰκῶν ἐκποδὼν καὶ οὐκ ἂν εἰσαχθεὶς εἰς δικαστήριον ὑπὸ πάνυ ἴσως μοχθηροῦ ἀνθρώπου καὶ φαύλου.

Ab eo inde tempore saepius legitur hoc vocabulum. Debetur aut ipsi Socrati, aut eius adversariis. Quodsi prius adversarii contra Socratem hoc vocabulo usi sunt, hic laete id ipsum arripuit, ut adversariis turpitudinis et ignominiae notam imprimeret.

Nobis autem adiectivum usui est, quod ostendit locum in Men. cohaerere cum narratiuncula in Apol. Xen.

Alia similia haec sunt, minus manifesta quidem, non autem neglegenda.

In Apol. Xen. 30 legimus: *συνεγενόμην γάρ ποτε βραχέα τῷ Ἀνύτου υἱῷ.*

In Menone 92 B. haec resonare videntur. Anytus, interrogatus numquis sophista sibi male fecerit, respondet: *οὐδὲ μὰ Δία ἔγωγε*

---

[1]) Idem verbi *ἀποπέμπειν* usus Xen. Mem. I. 2. 61; Hell. VI. 2. 15; Cyrop. VIII. 7. 27.

συγγέγονα πώποτε αὐτῶν οὐδενί, οὐδ' ἂν ἄλλον ἐάσαιμι τῶν ἐμῶν οὐδένα.

Item 94 A: *τούτῳ γάρ που καὶ συγγέγονας καὶ ὁρᾷς οἷός ἐστιν.*

Maiorem autem vim haec similitudo habebit, si verba proxima recte illustraverimus: *Πότερον δέ, ὦ Ἄνυτε, ἠδίκηκέ τίς σε τῶν σοφιστῶν, ἢ τί οὕτως αὐτοῖς χαλεπὸς εἶ;* Non negari potest satis maligne sermonem hic haberi. Socrates rogat: Iniuriane affectus es a sophistis, Anyte, et haec causa est quod tam iniquo et infesto animo es in eos? Responsum Anyti, quod ei datur a Platone, qui haec libere, ut est eius mos, composuit, specie omnem suspicionem auferre debet, non autem nobis res ita ut gestae sunt patefacit. Non possumus non recordari narratiunculam quam nobis Xenophon in Apol. tradidit, neque dubitamus quin eis verbis modo e Menone laudatis colloquium (et altercatio, fortasse iurgium), quod Socrates cum Anyto habuit, significatur: *ἠδίκηκέ τίς σε τῶν σοφιστῶν;* Ille sophista Socrates erat, ipse Socrates. Et iniuria illa verba quae leguntur in Apol. Xen. sc. *περὶ βύρσας παιδεύειν.* Neque tamen solum ob ea verba, quae convicii instar erant, Socrati infestus erat. Filius eius Socratem sectabatur, aut sectari volebat — vetabatur enim a patre philosophiae et bonis artibus se dedere — (vid. Men. 92 B. *οὐδ' ἂν ἄλλον ἐάσαιμι τῶν ἐμῶν οὐδένα*). Sed breve illud tempus, quo Socratis consuetudine fruebatur (Xen. Apol. 30 *συνεγενόμην γάρ ποτε βραχέα τῷ Ἀνύτου υἱῷ*), idoneum erat quo Anyti filius etiam magis amore philosophiae incenderetur, ars autem patris ei vehementer odio esse inciperet. Ab eo inde tempore corium subigere omnium artium sordidissimam putavit. Pater autem filio morem gerere nolebat. Et ita factum est ut is ad nequitiam abduceretur et magis magisque in peius rueret. (Apol. Xen. 30.)

Nunc totam tragoediam perspicere possumus.

Anytus e propinquo viderat quomodo iuvenes a Socrate corrumperentur. Ipsius enim filium depravatum esse a sordido illo philosopho putabat. Filius ab eo vetabatur sequi illum sophistam. Is autem in colloquio, quod forte habebant, mordacibus et contumeliosissimis verbis de eius arte loquitur. Nunc non iam retineri poterat quin eum perderet aut ex civitate expelleret.

Ipse autem filium educare non poterat.

Haec omnia satis lucide dilucent in Men. Plat.

Primum quod Socrates acerbis verbis usus erat in Anytum et hanc quoque ob causam accusatus erat ab eo, nonne illud ex his verbis apparere videtur, 94 E. Ὦ Σώκρατες, ῥᾳδίως μοι δοκεῖς κακῶς λέγειν ἀνθρώπους. ἐγὼ μὲν οὖν ἄν σοι συμβουλεύσαιμι, εἰ ἐθέλεις ἐμοὶ πείθεσθαι, εὐλαβεῖσθαι e. q. s.?

Cave tibi! Hanc ob causam tibi dicam impingam! Irascitur enim Anytus: Ὦ Μένων, Ἄνυτος μέν μοι δοκεῖ χαλεπαίνειν· καὶ οὐδὲν θαυμάζω. Etenim illud κακῶς λέγειν ἀνθρώπους (vid. Gorgias 522 B. τοὺς πρεσβυτέρους κακηγορεῖν λέγοντα πικροὺς λόγους) optime potest spectare ad verba illa contumeliosa quae a Socrate in colloquio dicta erant. Privatam causam igitur suscepisse Anytum neque solum publicam dilucet.

Haec interpretatio vim addit his verbis: οἴεται γάρ με πρῶτον μὲν κακηγορεῖν τούτους τοὺς ἄνδρας, ἔπειτα ἡγεῖται καὶ αὐτὸς εἶναι εἷς τούτων, sc. unus ex iis qui peiores filios habuerunt *quibusque maledixi.*

Saepe quaeritur quam ob rem totus ille locus, in quo Anytus in scaenam producitur, a Platone dialogo Menoni insertus sit. Haec pars dialogi demonstrat: *in re paedagogica non patribus committendos esse filios.*

Optimum exemplum praebet Anytus, ipse accusator, qui filium suum educare non poterat, peritioris fidei tutelaeque committere nolebat. Quid igitur Platoni propositum erat cum Socratem haec disputantem induceret?

Sic ut in Apologia Meletum ludibrio habuit eiusque in rebus paedagogicis imperitiam ostendit, ita quoque simili modo Anytum ulciscitur. Est autem haec ulciscendi ratio hominis urbani qui omni rustica acerbitate remota non sine quadam superbia *de monte Philosophiae* despicit magistri adversarium, hominem indoctum, rudem, stultum, qui parum videbat et fortasse bona fide magistrum accusabat. Quod autem sine ira et studio haec scripsisse videtur Plato, utique non odio inflammatus, hoc favet opinioni eorum qui putant iam aliquot annos praeterisse post Socratis litem, cum Plato hunc dialogum scriberet. Deinde ipsius Platonis

animum nobis hoc ostendit. Videtur enim Plato intellexisse fatale fuisse et fatale esse iis hominibus qui, sicut Socrates, novas vias in vita aperiant, novam philosophiam, novam disputandi, cogitandi, vivendi rationem in rempublicam introducant, ut saepe vita et sanguine staret proelium quod eis cum civibus decernendum esset.

Neque hoc Socrati soli contigit. Alii eum eadem via secuturi erant, cf. Apol. Plat. 28 A: *καὶ τοῦτ᾽ ἔστιν ὃ ἐμὲ αἱρήσει, ἐάνπερ αἱρῇ, οὐ Μέλητος οὐδὲ Ἄνυτος, ἀλλ᾽ ἡ τῶν πολλῶν διαβολή τε καὶ φθόνος. ἃ δὴ πολλοὺς καὶ ἄλλους ἀγαθοὺς ἄνδρας ᾕρηκεν, οἶμαι δὲ καὶ αἱρήσειν· οὐδὲν δὲ δεινὸν μὴ ἐν ἐμοὶ στῇ*

Hanc autem ipsius Platonis sententiam fuisse mihi persuasissimum est.

Similiter Socrates Platonicus, i. e. Plato, Apol. 39 B dixit: *ταῦτα μέν που ἴσως οὕτως καὶ ἔδει σχεῖν, καὶ οἶμαι αὐτὰ μετρίως ἔχειν.*

Non esse a se suscensendum Meleto neque Anyto Plato arbitrabatur, neque igitur illos in dialogis mordacibus et contumeliosis dictis persequitur. Etiam melius hoc apparet ex ultimis Apol. Plat. verbis, ubi, opinor, ipsius Platonis opinio partim translucet, 41 D. *διὰ τοῦτο καὶ ἐμὲ οὐδαμοῦ ἀπέτρεψεν τὸ σημεῖον, καὶ ἔγωγε τοῖς καταψηφισαμένοις μου καὶ τοῖς κατηγόροις οὐ πάνυ χαλεπαίνω.*

Quo factum est ut Plato [1]) Anytum in Menone leniter castigaret, vel potius reprehenderet, ironia sua, quae imprimis propia est hominum urbanorum, qualis Plato erat et eorum qui adversarios, ut multum infra se, despectent. Neque mordacibus verbis sed lenitate quadam admixta superbia tota disputatio, quam Socrates cum Anyto habuit, concluditur: *ἀλλ᾽ οὗτος μὲν ἐάν ποτε γνῷ οἷόν ἐστιν τὸ κακῶς λέγειν, παύσεται χαλεπαίνων, νῦν δὲ ἀγνοεῖ.*

Hac quoque in re acerbitas Socratis Xenophontei a Platone polita et lenita est.

Postremo hoc addendum.

Filii Themistoclis, Periclis, Thucydidis, aliorum, bono ingenio praediti erant. Patres autem eos ad virtutem educare non poterant.

---

[1]) Quae erat eius *πρᾳότης*.

Quae autem de Themistocle, Pericle, Thucydide eorumque filiis dicuntur, ea — hoc enim mente supplendum — *tacite* de Anyto deque eius filio *significantur* (95 A. ἡγεῖται καὶ αὐτὸς εἶναι εἷς τούτων).

Hac autem luce haec verba in Menone cum Apol. Xen. sunt componenda, 93 D: οὐκ ἂν ἄρα τήν γε φύσιν τοῦ υἱέος αὐτοῦ ᾐτιάσατ' ἄν τις εἶναι κακήν.

Et in Apol. Xen. 30: καὶ ἔδοξέ μοι οὐκ ἄρρωστος τὴν ψυχὴν εἶναι.

Deprehendimus igitur denuo vinculum quo locus qui in Menone de Anyto agit, coniunctus est cum narratiuncula in Apol. Xen.

Hoc Socratis cum Anyto colloquium nonnisi ex Apol. Xen. illustrari et recte intellegi potest. Credo rem ita se habere. Plato Apol. Xen. — inter alia scripta — perlegit, ut res, quae ad Socratis vitam, philosophiam, litem, mortem pertinerent, sibi in memoriam redigeret. Complures enim iam annos praeterierant. Complures annos fortasse Athenis non erat. In componendis autem suis scriptis Plato Apologia Xenophontea usus est quasi quodam fonte. Cum autem haec de Anyto scriberet, in mentem ei venit verborum quae apud Xen. legerat quaeque penitus ei in mente inhaeserant. Quo factum est ut dispersa apud Platonem leguntur quae Xenophon una vel duabus paragraphis tradit.

Vestigia huius colloquii apud scriptores posteriores inveniuntur, quae vir doctus H. Dittmar in libro cui titulus „*Aeschines von Sphettos*" congessit sc.

1) Scholiasta in Plat. Apol. 18 B.
2) Libanius Apol. Socr.
3) Epistol. Socr. XIV.
4) Dio Chrysost. LV sub finem.

Etsi raro a posterioribus integra nobis traduntur quae in antiquissimis scriptis invenerunt, tamen hac in re plerique consentiunt. Unum fontem ergo viri docti postulant, ex quo haec narratiuncula profluxerit.

Viro docto Markowski (*de Libanio Socratis defens.* Bresl. phil. Abh. Heft 40. 1910 p. 38) Apologia Lysiae ante oculos versatur. Vir cl. Schanzius (l. l. p. 91), quem Dittmarius secutus

est, nimis ingeniose, nimis sagaciter, putat narratiunculam in Xen. Apol. originem traxisse e dialogo Antisthenis (*Πολιτικόν* puta vel *Κῦρον*).

Tales suspiciones nullo argumento fretas sic temere prolatas mihi quidem bilem movere confiteor. Num necessarium est igitur Xenophontem omnia ex alio dialogo sumpsisse — impudentem igitur plagiarium se praebere! — quae in parvo hoc libello publici iuris fecit? Quae causa erat, rogo, quod haec inornata atque incompta deque Anyto deque tota Socratis lite scriberet? Quod ignota essent, opinor, magna ex parte Atheniensibus. Quodsi iam innotuit illud colloquium, quod Socrates cum Anyto habebat ex alio scripto, nullam causam video.

Desinant viri docti pugnare ignotis dialogis.

Desinant quoque omnia ex ignotis Antisthenis scriptis illustrare. Nimis lubrica illa via et incerta.

Equidem expectandum esse arbitror dum plura innotuerint ex caecis illis scriptis.

Ut hanc partem nostrae disputationis absolvamus, pro nostra virili dedimus operam ut Maierium refelleremus, qui contenderet nullam syllabam indicare hoc in Apol. Xen. colloquium Platoni notam fuisse aut ab eo verum habitum esse.

Quodsi autem hoc colloquium a Xen. excogitatum est, vaticinatio quoque, de qua disputabimus, conficta est Ea enim arte cum colloquio cohaeret. Quodsi vaticinium illud in Apol. Xen. nobis non videbitur addubitandum esse, colloquium quoque simul defendetur.

De hoc autem vaticinio vid. paragraphum sequentem.

§ 22. C. De Socrate vaticinante.

Apol. Xen. 30.	Apol. Plat. 39 C. D.
Ἀλλὰ μέντοι, φάναι αὐτόν, ἀνέθηκε μὲν καὶ Ὅμηρος ἔστιν οἷς τῶν ἐν καταλύσει τοῦ βίου προγιγνώσκειν τὰ μέλλοντα, βούλομαι	*Τὸ δὲ δὴ μετὰ τοῦτο ἐπιθυμῶ ὑμῖν χρησμῳδῆσαι, ὦ καταψηφισάμενοί μου· καὶ γάρ εἰμι ἤδη ἐνταῦθα, ἐν ᾧ μάλιστ᾽ ἄνθρω-*

δὲ καὶ ἐγὼ χρησμῳδῆσαί τι. συνεγενόμην γάρ ποτε βραχέα τῷ Ἀνύτου υἱῷ καὶ ἔδοξέ μοι οὐκ ἄρρωστος τὴν ψυχὴν εἶναι· ὥστε φημὶ αὐτὸν ἐπὶ τῇ δουλοπρεπεῖ διατριβῇ, ἣν ὁ πατὴρ αὐτῷ παρεσκεύακεν, οὐ διαμενεῖν· διὰ δὲ τὸ μηδένα ἔχειν σπουδαῖον ἐπιμελητὴν προσπεσεῖσθαί τινι αἰσχρᾷ ἐπιθυμίᾳ καὶ προβήσεσθαι μέντοι πόρρω μοχθηρίας.

ποι χρησμῳδοῦσιν, ὅταν μέλλωσιν ἀποθανεῖσθαι· φημὶ γάρ, ὦ ἄνδρες, οἳ ἐμὲ ἀπεκτόνατε, τιμωρίαν ὑμῖν ἥξειν εὐθὺς μετὰ τὸν ἐμὸν θάνατον πολὺ χαλεπωτέραν νὴ Δία ἢ οἵαν ἐμὲ ἀπεκτόνατε· ———— πλείους ἔσονται ὑμᾶς οἱ ἐλέγξοντες, οὓς νῦν ἐγὼ κατεῖχον, ὑμεῖς δὲ οὐκ ᾐσθάνεσθε καὶ χαλεπώτεροι ἔσονται ὅσῳ νεώτεροί εἰσιν, καὶ ὑμεῖς μᾶλλον ἀγανακτήσετε.

Uter verius nobis vaticinium videtur tradidisse? Vir cl. SCHANZIUS l. l. 112 arbitratur ea quae in Apol. Plat. leguntur non a Socrate dicta sed a Platone conficta esse, postquam ipse Plato in Gorgia dialogo iam acriter Athenienses perstrinxit et aggressus est: „Man wird kaum irren, wenn man hier eine Prophezeiung aus der Vergangenheit heraus annimmt, wenn der heftige Angriff in einer Schrift schon vollzogen ist. Nach unserer Vermutung ist diese scharfe Kritik der Athener im Gorgias gegeben worden". Nobis quoque, etsi dubitamus adhuc an Gorgias prius scriptus sit, totum vaticinium Socratis Platonici ab ipso Platone excogitatum esse persuasum est. Quae autem ficta sunt, vulgo semet ipsa prodere solent. Hic quoque locus talia indicia praebet? Videamus.

Primum statuendum est iudices qui Socratem condemnaverunt separatim nunc a reo damnato compellari; postea reus eos aversari videtur 39 D. ταῦτα μὲν οὖν ὑμῖν τοῖς καταψηφισαμένοις μαντευσάμενος ἀπαλλάττομαι. Hoc displicet (vid. supra pag. 69, 116).

Deinde satis *abrupte* in hanc vaticinationem cadit: τὸ δὲ δὴ μετὰ τοῦτο ἐπιθυμῶ ὑμῖν χρησμῳδῆσαι.

Utique in Apol. Xen. optime omnia cohaerent et transitus ad vaticinium ordine fit et sua sponte nascitur. Victor Anytus non sine aliqua iactatione abit. Quo habitu victus Socrates irascitur, sequuntur deinde verba laudata.

Tum Socrates Platonicus vaticinationem excusat eo, quod ***homines*** in hora mortis saepe vaticinia edant: ἐνταῦθα, ἐν ᾧ μάλιστ'

ἄνθρωποι χρησμῳδοῦσιν. Platone auctore ***homines*** saepe futura praedicunt; omnium maxime hoc fit instante morte.

Melius apud Xenophontem haec vaticinationis ars ***heroibus Homericis*** datur neque in universum unicuique homini. Risum autem movet quod commentatores hunc apud Platonem locum exemplis ex HOMERO petitis illustrant. Libenter pro hisce verbis locum apud Xenophontem substitueris. Tum etiam magis apposite commentatores exempla ex Homero attulerint.

Postremo fateor me valde mirari verba: *πλείους ἔσονται ὑμᾶς οἱ ἐλέγξοντες, οὓς νῦν ἐγὼ κατεῖχον κ. τ. λ.*

Socratem igitur cohibuisse et moderatum esse ardorem et impetum iuvenum hoc loco legimus. Hoc ***novum***, neque aliunde mihi quidem innotuit! Quinam fuere illi iuvenes? Quamobrem eos inhibuit? Moderatiusne agere Socrates malebat, an inimicos timuit?

Mihi res non liquet.

Nunc autem denuo Xenophontem inspiciamus. Is enim tuendus est adversus adversarios malevolos! Etenim offensioni nonnullis viris doctis erat vaticinium, quod Anyto praetereunte Socrates edidit in Apologia Xen. Immo KAIBELIO (Hermes XXV 1890. 481) visum est sordidum atque abiectum: *„eine niederträchtige Prophezeiung"*. Contra quam accusationem M. WETZEL l. l. 399 pugnator exstitit. Cuius viri docti verba libenter mea faciam, nisi quod una eius sententia mihi minus probari potest. Arbitratur enim sine divino quodam instinctu et motu hoc vaticinium, hanc de rebus futuris opinionem Socratis animo surrexisse; „Ich finde an ihr nichts Niederträchtiges, überhaupt nichts Auffallendes. Socrates war auf Betreiben des Anytus zum Tode verurteilt worden. Dieser Anytus aber hatte einen hochbegabten Sohn, der vom Vater gezwungen wurde, sich der Gerberei zu widmen, einem Berufe, der den geistig so trefflich beanlagten Jüngling unmöglich befriedigen konnte. Sokrates sah voraus, dasz der junge Mann seinem Berufe nicht treu bleiben wurde, auf Abwege geraten werde; war er doch der Ansicht, dasz gerade die besten Köpfe der Bildung am meisten bedürfen (Mem. IV 1, 3). Dieser Überzeugung gab er

Ausdruck: eine göttliche Inspiration hat er damit sich gewisz nicht zuschreiben wollen, wenn er auch im Scherze daran erinnert, dasz Homer den Sterbenden oft die Gabe beilegt, in die Zukunft zu blicken. Ähnlicher „Prophezeiungen" hat sich veilleicht mancher von uns auch schon schuldig gemacht".

Haud scio an ex dialogis Platonis contra hanc opinionem, quam in ultimis Wetzelii verbis legimus — göttliche Inspiration hat er sich nicht zuschreiben wollen —, nonnulla argumenta erui possint. Simul autem Kaibelius nobis refutandus est.

In capite secundo vidimus artem vaticinationis exerceri quodammodo a Socrate. Praeter locum ex Alcibiade priore 124 C. 105 E., ubi deo vel daemonio fretus futura praedicit, attulimus Phaedr. 279 A B: *Ἰσοκράτη τὸν καλόν· ᾧ τί ἀπαγγελεῖς, ὦ Σώκρατες; τίν' αὐτὸν φήσομεν εἶναι;*

Σω. Νέος ἔτι, ὦ Φαῖδρε, Ἰσοκράτης· ὃ μέντοι μ α ν τ ε ύ ο μ α ι κατ' αὐτοῦ, λέγειν ἐθέλω.

Φαι. Τὸ ποῖον δή;

Σω. Δοκεῖ μοι ἀμείνων ἢ κατὰ τοὺς περὶ Λυσίαν εἶναι λόγους τὰ τῆς φύσεως, ἔτι τε ἤθει γεννικωτέρῳ κεκρᾶσθαι· ὥστε οὐδὲν ἂν γένοιτο θαυμαστὸν προϊούσης τῆς ἡλικίας εἰ περὶ αὐτούς τε τοὺς λόγους, οἷς νῦν ἐπιχειρεῖ, πλέον ἢ παίδων διενέγκοι τῶν πώποτε ἁψαμένων λόγων ——————— *ταῦτα δὴ οὖν ἐγὼ μὲν π α ρ ὰ τ ῶ ν δ ε τ ῶ ν θ ε ῶ ν ὡς ἐμοῖς π α ι δ ι κ ο ῖ ς Ἰσοκράτει ἐ ξ α γ γ έ λ λ ω, σὺ δ' ἐκεῖνα ὡς σοῖς Λυσίᾳ.*

Nunc nihil ad nostram disputationem pertinet, quod Socrates fortasse numquam haec locutus est, Plato autem post eventum inducit Socratem futura praedicentem. Nobis locus usui est, quod ex eo apparet Socratem Platonicum, sicut Socratem Xenophonteum, futuram adulescentulorum vitam praevidere, praedicere, deo (vel daemonio) auctore.

Isdem autem verbis Xenophon in Apol. 13 utebatur quibus Plato in Phaedro 279 A: *καὶ γὰρ τῶν φίλων πολλοῖς δὴ ἐξαγγείλας τὰ τοῦ θεοῦ συμβουλεύματα οὐδεπώποτε ψευσάμενος ἐφάνην. Pro intimis amicis deus* Socratem monet et ei monenda denuntiat. Non solum Socrates sed etiam intimi eius amici (*τὰ παιδικά* Phaedr. 279 A) per daemonium dei tutela fruuntur. Denuntiatio et relatio exprimitur verbo *ἐξαγγέλλειν*.

Saepius autem Socratem vatem exstitisse docet nos Theaet. 142 C D, locus dignus quem propius et accuratius aspiciamus: *Καὶ δῆτα προπέμψας αὐτόν, ἀπιὼν πάλιν ἀνεμνήσθην καὶ ἐθαύμασα Σωκράτους, ὡς μαντικῶς ἄλλα τε δὴ εἶπε καὶ περὶ τούτου. δοκεῖ γάρ μοι ὀλίγον πρὸ τοῦ θανάτου ἐντυχεῖν αὐτῷ μειρακίῳ ὄντι, καὶ συγγενόμενός τε καὶ διαλεχθεὶς πάνυ ἀγασθῆναι αὐτοῦ τὴν φύσιν. καί μοι ἐλθόντι Ἀθήναζε τούς τε λόγους οὓς διελέχθη αὐτῷ διηγήσατο, καὶ μάλα ἀξίους ἀκοῆς, εἶπέ τε ὅτι πᾶσα ἀνάγκη εἴη τοῦτον ἐλλόγιμον γενέσθαι, εἴπερ εἰς ἡλικίαν ἔλθοι.*

Videmus saepe divinasse futura Socratem et optime comparari posse haec verba cum loco in Apol. Xen. 30, et ita quidem, ut suspicio oriatur Platonem si non imitatum esse verba Xen., attamen ea memoria retinuisse. Isdem enim fere vocabulis utuntur scriptores: 1) *ἔδοξε* — *δοκεῖ*, 2) *γὰρ* — *γὰρ*, 3) *συνεγενόμην* — *συγγενόμενος*, 4) *βραχέα* — *ὀλίγον πρὸ τοῦ θανάτου* —, 5) *ἔδοξέ μοι οὐκ ἄρρωστος τὴν ψυχὴν εἶναι* — *πάνυ ἀγασθῆναι αὐτοῦ τὴν φύσιν.*

Apud Platonem mirationem movet illud *δοκεῖ*, pro certo enim sciebat, ut opinor. Hoc igitur vestigium et indicium est imitationis?

Utut res se habet, satis superque nobis videmur demonstrasse nihil novi neque inusitati inesse vaticinationi Socratis Xenophontei. An, ut Kaibelio placeret, opinor, solum ea vaticinia edere debuit Socrates, quae iucunda cognitu atque auditu essent? Qualia sunt apud Platonem! Sed neque uniuscuiusque adulescentis vita felicem exitum habet, neque ergo Socrates semper ea praedicere potuit quae ad audiendum grata essent.

§ 23. DE NONNULLIS VOCABULIS.

1) De verbis quae sunt *ἀποκτείνειν, ἀποθνήσκειν.*

Apol. Xen. 4.	Apol. Plat. 38 C.
οὐχ' ὁρᾷς τὰ Ἀθηναίων δικαστήρια ὡς πολλάκις μὲν οὐδὲν ἀδικοῦντας λόγῳ παραχθέντες ἀπέκτειναν κ. τ. λ.	*ὄνομα ἕξετε καὶ αἰτίαν ὑπὸ τῶν βουλομένων τὴν πόλιν λοιδορεῖν, ὡς Σωκράτη ἀπεκτόνατε, ἄνδρα σοφόν.*

Apol. 26.

ἀλλ' οὐδὲ μέντοι ὅτι ἀδίκως ἀποθνήσκω, διὰ τοῦτο μεῖον φρονητέον. παραμυθεῖται δέ τί με καὶ Παλαμήδης ὁ παραπλησίως ἐμοὶ τελευτήσας· ἔτι γὰρ καὶ νῦν πολύ καλλίους ὕμνους παρέχεται Ὀδυσσέως τοῦ ἀδίκως ἀποκτείναντος αὐτόν·

Apol. 28.

χαλεπώτατα φέρω, ὅτι ὁρῶ σε ἀδίκως ἀποθνήσκοντα.

Apol. 29.

Ἀλλ' ὁ μὲν ἀνὴρ ὅδε κυδρός, ὡς μέγα τε καὶ καλὸν διαπεπραγμένος, εἰ ἀπέκτονέ με κ. τ. λ.

Apol. 39 C.

φημὶ γάρ, ὦ ἄνδρες, οἳ ἐμὲ ἀπεκτόνατε τιμωρίαν ὑμῖν ἥξειν εὐθὺς μετὰ τὸν ἐμὸν θάνατον πολὺ χαλεπωτέραν νὴ Δία, ἢ οἵαν ἐμὲ ἀπεκτόνατε.

Apol. 39 D.

εἰ γὰρ οἴεσθε ἀποκτείνοντες ἀνθρώπους ἐπισχήσειν τοῦ ὀνειδίζειν κ. τ. λ.

Apol. 35 A.

ἂν ὑμεῖς αὐτοὺς μὴ ἀποκτείνητε.

Apol. 41 C.

πάντως οὐ δήπου τούτου γε ἕνεκα οἱ ἐκεῖ ἀποκτείνουσι.

Duobus locis apud Platonem (39 D, 35 A) verbum ἀποκτείνειν interficiendi sensu accipi potest; aliis omnibus locis significat „morte multare", „facere ut aliquis morte damnetur". Eo sensu paulo rarius adhibetur.

Deinde hoc quoque animadvertendum est Socratem Platonicum identidem iudicibus hoc verbum obicere; Socratem Xenophonteum in colloquiis cum amicis id adhibere de aliis hominibus, deinde de semet ipso.

Mihi autem hic rhetoricus huius verbi usus magis placet de hominibus iam mortuis quam adhuc viventibus.

Videor mihi in Apol. Plat. ipsum Platonem audire qui iudicibus exprobrat quod Socratem interfecerunt.

2) De verbo quod est θορυβεῖν.

Verbum in iudicio saepius usitatum apud oratores nonnumquam obviam fit offensionis avertendae causa. Apud Plat. et Xen. his locis in Apologiis legitur:

Apol. Xen. 14.

ἐπεὶ δὲ ταῦτ᾽ ἀκούοντες οἱ δικασταὶ ἐθορύβουν ——.

Apol. Xen. 15.

ὡς δ᾽ αὖ ταῦτ᾽ ἀκούσαντες οἱ δικασταὶ ἔτι μᾶλλον εἰκότως ἐθορύβουν.

Apol. Plat. 17 C.

ἐὰν διὰ τῶν αὐτῶν λόγων ἀκούητέ μου ἀπολογουμένου —— *μήτε θαυμάζειν μήτε θορυβεῖν τούτου ἕνεκα.*

Apol. Plat. 20 E.

καί μοι, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, μὴ θορυβήσητε, μηδ᾽ ἐὰν δόξω τι ὑμῖν μέγα λέγειν.

Idem verbum praeterea 21 A, 27 B, 30 C.

Iracunde autem tulisse iudices, tumultuatos esse, quod talem orationem habere Socrates auderet, magis convenit in Socratem Xenophonteum quam in Socratem Platonicum.

In Apol. Plat. statim displicet, quod oratores imitatur Socrates (cf. Isocr. 15. 272, Lycurg. 2. 52, Dem. 57. 1). Non ergo hospes est in re iudiciaria!

Neque Platoni credere possumus, qui Socratem inducit talia dicentem.

Socrates Xen. iudices infra se putare videtur.

Socrates Plat. crimen et culpam in oraculum, in deum derivare conatur et satis demisse iudices alloquitur.

Xenophon tradit iudices tumultuari, immo vero a Socrate vehementer exacerbari cf. Apol. 14.

Ἄγε δὴ ἀκούσατε καὶ ἄλλα ἵνα ἔτι μᾶλλον οἱ βουλόμενοι ὑμῶν κ. τ. λ.

Plato Socratem identidem facit orantem et rogantem urbane admodum et demisse iudices ne irascantur causidicorum in modum.

3) De verbo quod est *κινδυνεύειν*.

Verbum *κινδυνεύειν* non erat tantum locutio Socratis, sed in universum usitatissimum Socraticis. Imprimis autem Platoni in deliciis erat, homini moribus urbanis et academicis, cuius proprium erat ironice loqui, propterea fortasse quod superioris mentis esse putabat et sermonis elegantioris. Hoc inde apparet quod apud

Plat. saepissime aliis hominibus datur cf. Gorgias 485 E, 479 D. Alcibiades 118 B, 120 A, 127 D, 131 B, 133 E. 135 D, praeterea innumerabilibus locis.

Item Xenophon. Mem. IV. 2. 39.

Non semper Socrates hoc vocabulo utitur.

Errat ergo v. d. Beyschlag (l. l. 499). ut opinor, qui crimini dat Apologiae, *parvo libello*, quod non exhibet illud vocabulum.

4) Vinculis, quibus dialogus Phaedo cum Apol. Xen. coniunctus est, hoc quoque annumerandum est.

In Apologia Platonis de morte Socratis nihil nobis narratur. Finis eius vitae depingitur in Phaedone (!). Extat autem in illo dialogo locus qui conferri potest cum nonnullis verbis, quae Xenophon addit in Apologia sua.

Apol Xen. 33.

ἐπεδείξατο δὲ τῆς ψυχῆς τὴν ῥώμην· ἐπεὶ γὰρ ἔγνω τοῦ ἔτι ζῆν τὸ τεθνάναι αὐτῷ κρεῖσσον εἶναι ὥσπερ οὐδὲ πρὸς τἆλλα τἀγαθὰ προσάντης ἦν, οὐδὲ πρὸς τὸν θάνατον ἐμαλακίσατο, ἀλλ' **ἱλαρῶς** *καὶ προσεδέχετο αὐτὸν καὶ ἐπετελέσατο.*

Phaedo 117 B.

καὶ ὃς λαβὼν καὶ μάλα **ἵλεως,** *ὦ Ἐχέκρατες, οὐδὲν τρέσας οὐδὲ διαφθείρας οὔτε τοῦ χρώματος οὔτε τοῦ προσώπου κ. τ. λ.*

Ex quibus locis apparet Xenophontem et Platonem isdem vocabulis uti, cum non ad Socratem ipsum referri possint. Aut alterum alterum respicere aut tertium amborum fontem esse consentaneum est.

Hic locus ergo maximi momenti est.

Praeterea *finis* Apol. X. et *ultima verba* Phaedonis similiter Socratem laudant!

Dixerit aliquis non multum valere talia similia, neque quicquam hisce verbis inter se conferendis demonstrari, saepius enim duos scriptores de eadem re eodem vocabulo uti.

Credo.

A nobis quoque talibus similitudinibus non multum tribuatur, si seorsum ab aliis eas consideremus. Non autem eas separatim contemplamur, sed coniunctim cum aliis multis. Si haec tantum vocabula, et nonnisi haec duo (ἵλεως, ἱλαρῶς), scriptores nostri communia haberent, et nos silentio eas praeterire mallemus. Nunc vero similitudines inter se, alia alii, vim adiciunt, et opinionem nostram alia de alia adiuvant, eoque modo coniunctae magnum momentum faciunt ad sententiam nostram stabiliendam.

CAPUT IV.

DE PLATONE.

§ 1. DE RATIONE QUAE INTERCEDIT INTER APOLOGIAM XENOPHONTIS ET APOLOGIAM PLATONIS.

In capite superiore separatim singuli loci consimiles tractati sunt; nunc fusius in universum disputandum est de utraque Apologia et inquirendum quid causae fuerit quod haec similia et dissimilia haberent. Quaeritur igitur quomodo interpretandae sint hae similitudines. Viri docti dissentiunt; aliis alia placent. Commode autem mihi videntur dividi posse in tres partes.

A. Infestissimi sunt ei qui contendunt libellum nostrum ne Xenophonti quidem deberi; quorum agmen ducere videtur v. cl. v. Wilamowitz l.l. Acerrime quoque Fr. Beyschlag Apologiam Xenophontis aggressus est l. l. Hi viri docti, quorum crimina, quibus inimicissime persequuntur scriptum Xenophontis, in capite praecedenti hic atque illic refutavimus, perhibent tenebrionem quendam quarti vel tertii (vel secundi) saeculi ante Christum natum primum nonnullos dialogos Platonis expilasse (Apologiam, Phaedonem, Menonem, Critonem, alios puta), deinde hoc misellum opusculum consarcinatum esse ab eo. Igitur *ex imitatione* similia nata sunt, ut eorum opinio fert, et is, qui hanc Apologiam scripsit, plagiarius erat undecumque materiem corradens.

Praeter ea, quae in prioribus capitibus a nobis dicta sunt contra adversarios, haec observanda vel denuo repetenda videntur:

1) Genus dicendi et modus scribendi colorem Xenophonteum habent [1]).

2) Codicum auctoritas et antiquorum scriptorum testimonia tribuunt (vid. O. FRICK l. l.) hanc Apologiam Xenophonti.

3) Quae in Apol. Xen. leguntur identidem nobis videbantur veriora quam quae apud Platonem similia vel dissimilia inveniuntur. Non credibile est eum, qui fide digna tradit, imitari alterum, qui nobis ficta et commenticia proponit, neque sibi constanter dicit, immo sibimet ipse repugnat.

4) Similia saepe dissimilia sunt. Saepe prorsus contrarium apud Xen. legitur atque apud Platonem. Hoc imitatoris non est. E contrario, hoc demonstrat scriptorem Apologiae Xen. e propriis suis fontibus hausisse.

5) In Apologia Xen. nonnumquam aliquid legitur, quod Socrates Platonicus in Apologia Plat. disertis verbis negat [2]). Magniloquentia Socratis Xenophontei et totus eius habitus in Socrate Platonico frustra requiras. Quae diversitas non est imitatoris, sed eius qui propium auctorem habet.

B. Altera pars virorum doctorum SCHANZIUM sequitur [3]). Is putat Xenophontem, postquam perlegit Apologiam, eam fictam habuisse, deinde corrigere et refutare voluisse. Postquam Schanzius aliquot locos consimiles inter se comparavit, ita disserere pergit l. l. pag. 80: „Diese Beziehungen zwischen beiden Geisteswerken sind so auffällige, dass wir den Satz aufstellen können: Die Xenophontische Apologie ist eine Kritik der Platonischen durch eine andere Darstellung des Verlaufes der Prozessverhandlung; die Xenophontische Apologie ist ein Protest gegen die Platonische. Und ich meine, schon der Eingang is ein solcher Protest. ———. Wenn Xenophon seine Apologie damit beginnt, dass er nachweist, dass

---

[1]) Id quod ipsi adversarii non possunt non concedere: BEYSCHLAG l.l. pag. 517 „Raffinesse der Stilnachbildung"; v. WILAMOWITZ l.l. „Sie will Xenophontisch sein; das zeigt — der Stil —".

[2]) Vid. cap. III § 15, περὶ παιδείας; cap. II § 6, de daemonio adhortante.

[3]) Idem H. MAIER l.l. 15: „... und hat dabei ohne Zweifel in erster Linie die Platonische Apologie im Auge".

Sokrates auf jede Vorbereitung verzichtet hatte, und diesen Verzicht sogar auf eine göttliche Mahnung zurückführt so liegt darin, dass er dem Platonischen Werk seine Anerkennung versagt." Viro clarissimo assentiri non possum, et his quidem de causis: Videtur Schanzio persuasum esse Apologiam esse scriptam a Xenophonte et eo quidem modo ut *bona fide* omnia, quae ei innotuerunt, aequalibus et posteritati traderet. Quid ergo nos impedit quominus credamus veram esse causam scribendi quam X. in initio Apol. profert? Libellus incipit ab hisce fere verbis: „Quod ad Socratem pertinet iuvat et operae pretium est eius recordari et meminisse aliisque commemorare quomodo, postquam accusatus est, secum de defensione deque fine vitae deliberaverit. Ante me autem iam alii *de eius ante iudices defensione et magniloquentia* scripserunt [1]), et in omnibus illis libris eius superbia expressa est. Quod autem mors ei vita iam potior esse videbatur, hoc ab eis manifestum redditum non est. Unde fit ut stulta et absurda eius magniloquentia videri possit. Hermogenes autem illis diebus saepe cum eo erat et eum comitatus est. Is mecum communicavit et mihi narravit nonnulla quae Socrates in familiari colloquio ei dixerat; quae demonstrant eius superbiam non alienam fuisse ab eius proposito neque sine consilio exhibitam esse."

Quae igitur apud alios, qui de Socratis defensione scripserunt, desunt, ea explere et supplere Xenophon habet in animo. Eam potissimum ob causam Apologiam scripsit et publici iuris fecit. Familiare illud colloquium, quod Hermogenes cum Socrate habuit paucis diebus antequam hic verba fecit ante iudices, Xenophonti maximi momenti erat. *Haec eius symbola erat. Hic est calculus quem adiecit.* Quae leguntur Ap. § 2—§ 10. Sequuntur deinde summatim nonnulla ex ipsa defensione — non tamen omnia! — et ex eis quae post litis aestimationem et abiens dixit.

Quod si haec recte a me disputata sunt, inde sequi debet fal-

---

[1]) Verba *περὶ τούτου* paulo neglegentius enuntiata nihil aliud significare posse videntur. Id perspicuum est e verbis sequentibus: „*ὃ καὶ δῆλον, ὅτι τῷ ὄντι οὕτως ἐρρήθη ὑπὸ Σωκράτους*, sc. ante iudices, non inter amicos. Non possunt ergo significare: de deliberatione defensionis mortisque.

sam esse sententiam Schanzii. (Vir cl. contendit Apologiam Xen. contra Apologiam Plat. esse scriptam).

1) Apologia Xen. non est scripta *contra unam* alteram Apologiam (Platonicam puta, ut vult Schanzius), neque contra *plures* alias (*γεγράφασι μὲν οὖν περὶ τούτου καὶ ἄλλοι καὶ πάντες* — plurali numero! — *ἔτυχον τῆς μεγαληγορίας αὐτοῦ*). Omnino non est scripta contra alias, neque eas corrigere vult; *supplere* et *explere* tantummodo eas cupit. Neque *unam* (Platonicam puta, dixerit Schanzius) suppleturus est, sed omnes, quae ante suam in lucem prodierunt.

2) Alias Apologias *vel potius alia scripta quae de Socratis defensione agunt*, Xenophon supplere vult propter magniloquentiam inconsultam, inconsideratam, stultiorem; non autem Platonicam. Platonica Apologia harum in numero esse non potest. In Platonica enim Apologia superbia et magniloquentia, *qualiscumque ea est*[1]), non sine consilio exhibita est neque inconsiderata, neque inconsulta videri potest, sed argumenta quibus nititur proferuntur gravissima. Qua in re nobis v. d. Schanzius denuo refutandus est. Is enim putat causam satis idoneam non proferri huius superbiae. Ipsum audiamus l.l. 79: „Die *μεγαληγορία* ist ja eine ganz besonders in die Augen springende Eigenschaft des Platonischen Schriftstücks. Ist die Todesverachtung aber nicht motiviert? Allerdings durch den Hinweis auf dem Zustand nach dem Tod. Allein dies führt auf solche philosophische Spekulationen, welche Sokrates fern lagen. Unter allen Umständen wird auf diesem Weg die *μεγαληγορία* nur ungenügend erklärt, wenigstens für einen Mann, der so sehr auf dem Standpunkt der Realität stand, wie Xenophon."

Contra quae haec observanda sunt. In paragrapho 22ª Ap. Xenophon denuo exponit quid sibi velit quidque sibi propositum sit: *ἐγὼ οὐ τὰ πάντα εἰπεῖν τὰ ἐκ τῆς δίκης ἐσπούδασα, ἀλλ᾽ ἤρκεσέ*

[1]) In cap. primo demonstravimus qualis ea superbia esset. *Vere superbia nominari non potest.* Video et M. Wetzelium l. l. eiusmodi sententiam contra Schanzium aperuisse.

μοι δηλῶσαι, ὅτι Σωκράτης τὸ μὲν μήτε περὶ θεοὺς ἀσεβῆσαι μήτε περὶ ἀνθρώπους ἄδικος φανῆναι περὶ παντὸς ἐποιεῖτο· τὸ δὲ μὴ ἀποθανεῖν οὐκ ᾤετο λιπαρητέον εἶναι, ἀλλὰ καὶ καιρὸν ἤδη ἐνόμιζεν ἑαυτῷ τελευτᾶν.

Coniuncta igitur cum iis quae legimus inde a § 2 usque ad § 10 haec sunt quae a Xenophonte *nova* traduntur quaeque ab aliis ignorabantur. Quodsi autem apparebit omnia fere et tantum non omnia, quae illis paragraphis apud Xenophontem leguntur, *et* in Apol. Plat. inveniri, manifestum erit nullo omnino modo Xenophontem animum inducere potuisse apud Platonem magniloquentiam Socratis inconsultam et stultam esse neque firmis fundamentis constitutam. Hoc autem pro nostra virili in capite tertio demonstrare conati sumus. Quodsi Schanzius, et ei qui eius sententiam probaverunt, a se impetrare possunt, ut hanc exiguam operam capiant, inspiciant velim quae illo capite exposuimus. Apparebit in Apol. Plat. eadem vel similia legi atque in Apol. Xen. (neque solum in Apol. Plat. verum etiam in Critone et Phaedone):

De misericordia (non) movenda;

De daemonio apud Xen. repugnante, apud Plat. non adversante;

De morte potiore;

Iustum tempus esse moriendi;

Mortem non quoquo modo esse effugiendam;

De libertate potiore.

Errat ergo Schanzius apud Platonem non satis idoneam causam eius superbiae proferri. Immo Socrates Platonicus pluribus etiam argumentis [1]) fretus quam Socrates Xen. mortem subire non recusat.

3) Ea, quae in colloquio quod Hermogenes cum Socrate habuit dicta sunt (Ap. 2—10), *et* apud Platonem inveniuntur dispersa quidem, attamen simillima.

Aut bis haec dicta sunt a Socrate, aut alter alterum imitatus est vel ex eius Apologia furatus est. At si haec a Socrate non

---

1) Praeter ea quae in Apol. Xen. leguntur Socrates Platonicus in commenticia illa confabulatione cum iudicibus valde philosophice demonstrat mortem esse bonum neque effugiendam.

solum in colloquio cum Hermogene dicta essent, sed etiam ante iudices, cum causam diceret, ea omnia, opinor, et in aliis apologiis commemorata essent, et omnis causa scribendi concidisset Xenophonti atque evanuisset.

Haec igitur opinio statim reicienda; eandem ob causam Apol. Plat. nondum scripta esse potuit. Unum igitur reliquum est ut sumamus, sc. id quod iam in capite tertio indicavimus, Platonem Apologia Xenophontea tanquam fonte usum esse.

C. Tertius adversarius est M. WETZEL, qui perhibet similia ipsi Socrati deberi l. l.: „Alsob diese „Berührungspunkte" sich nicht sehr einfach daraus erklärten, dasz sie auf eine gemeinsame Quelle, nämlich auf Sokrates selbst, zurückgehen".

Neque haec sententia mihi probari potest:

1) Illud Hermogenis cum Socrate colloquium aliis scriptoribus ignotum fuisse videtur. Neque talia a Socrate ante iudices dicta erant. Hoc proprium erat Xenophontis. Fac autem Platoni quoque haec innotuisse. Tamen eius Apologia nondum in lucem prodiisse putanda est. Xenophon enim ridiculus fieret, si denuo iteraret quae in alio scripto (Apol. Plat.) iam legerentur, quamquam in praefatione praedixerat *nova* se collaturum esse. Confugiendum igitur erit, si Wetzelium sequemur, ad hanc coniecturam: Apol. Xen. et Apol. Plat. eodem tempore scriptas esse, utique Apol. Platonicam non prius publici iuris factam esse.

Haec autem opinio mihi videtur nimis longe petita et quaesita.

2) Accedit hoc quoque.

Quodsi Xenophon et Plato e communi fonte hausisse putandi sunt, similiaque ipsi Socrati debentur, non intellego, quomodo interpretandae sint similitudines, quae exhibent verba quae non sunt dicta ab ipso Socrate, quae igitur non debentur Socrati, neque ad eum tanquam ad communem fontem referri possunt, e. g. illud *καταψήσαντα αὐτοῦ τὴν κεφαλήν*, quod legitur Ap. Xen. 28 et Plat. Phaed. 89 B et illud *ἱλαρῶς* vel *ἵλεως* quod invenitur apud utrumque, Apol. Xen. 33 et Phaed. Plat. 117 B. Non ignoro

per se non mirandum esse quod uterque scriptor eadem de re eodem vocabulo utitur. Neque quicquam argumenti ex talibus similitudinibus peti posset fortasse, si unicae similitudines essent. Coniunctim vero cum aliis multis nonnihil aliter interpretandae esse videntur et nostra sententia non pessime aget is qui has omnes *uno ordine* habebit. Praesertim nunc quod illud *demulcere* non de eodem homine dicitur, id quod suspicionem movit alterum confictum esse, ex imitatione natum, non ex eodem fonte haustum.

Quae cum ita sint, tranquillo animo in hac mea, quam dixi, sententia perseverare possum neque ea desistendum est mihi.

At dixerit aliquis, nonne Plato ipse in iudicio aderat, nonne igitur ex sua ipsius memoria depromere poterat ea quibus Apologiam suam conscriberet? Cui haec respondere velim. Legimus in *Platonis* Apologia Platonem — cum aliis — Socrati pecuniam obtulisse. Suspicati sumus ostentationis causa, nulla veritatis habita ratione, addita esse haec — et ea quae illo loco apud Platonem sequuntur — ficta autem et commenticia; vera contra credidimus quae Xenophon narrat sc. Socratem talia plane praecidisse et omnino noluisse neque ipsum neque amicos poenam sibi irrogare. Nobis igitur non constat Platonem in iudicio adfuisse. Nimis ficta ea omnia apud Platonem videntur. Quamquam esto, re vera interfuerit amicis qui Socratem comitati sunt ante collegium iudicum. Non ergo credibile est Platonem omnia quae ibi dicebantur oblitum esse. Fuit autem vir valde literatus multumque in literis versatus neque aliarum Apologiarum incuriosus. Praeterea memoriae quoque renovandae causa, opinor, priusquam pulchrum et ornatissimum illud aedificium, cui nomen Apologia Platonis, exstruxit, alia scripta ad Socratis causam pertinentia perlegit. Inter quae invenit Apologiam Xenophonteam! Admodum simplex et incompta ei visa est; nullo verborum ornatu splendebat neque literis elegantioribus adnumerari velle videbatur. Nude atque sincere vera tradi videbantur. Quippe nihil aliud erat neque esse volebat nisi simplex relatio et brevis commentarius de Socratis causa. Sicut historicum decet. Etenim talis libellus nullam aliam

ob causam scribi potuit quam quod scriptor nonnulla, quae adhuc ignorabantur, patefacere atque in lucem proferre volebat. Quod vera tradebat, hoc eius meritum esse poterit. Quod vera tradebat, brevis et inornatus et incomptus libellus esse potuit.

Invenit igitur in ea Plato nonnulla quae ei ignota erant. sc. *colloquium Hermogenis* et ea fortasse quae Socrates *abiens dixerat*.

Ea artificiose suae Apologiae inseruit.

Non enim quam accuratissime potuit, maxima fide historica, referre voluit quae a Socrate re vera dicta erant — non enim id quod *notarii hodierni* (vern. stenografen) in senatu agere videmus ei propositum erat —, sed pulchram et glorificatam imaginem aequalibus ostendere magistri, cuius laudes cecinit tanquam hominis divini, accusatores contra accusare levitatis puerilis atque nefariae stultitiae.

Huic proposito ei utilissima erant quae apud Xenophontem invenit.

Quod pulcherrima tradit, hoc eius meritum est, non quod vera sunt.

Etsi a me, hac in controversia, nova non proferentur, tamen pauca mihi dicenda sunt de *tempore* quo Apol. Xen. scripta est; quam brevissime potero exponere, quorum virorum sententiam me sequi velim, satis habebo. Indicia enim, quibus illud tempus pro certo definias, desunt. Neque terminum post quem, ut aiunt, neque terminum ante quem invenias. Quae enim § 31 Ap. Xen. leguntur, ea non sine causa a M. Wetzel l. l. 400 addubitantur et condemnantur. Non recte ibi opponuntur *Ἄνυτος μέν* —— *Σωκράτης δέ.* Neque incredibile est ea aut interpolatori deberi aut — huc magis animum inclino — ab ipso Xenophonte postea demum inserta esse, cum verba fides secuta et Socratis vaticinium re comprobatum esset, inde autem non optime decurrere verborum sententiam, sed ex illa mutatione vitium traxisse. Quodsi quis hanc opinionem probare non potest, tamen e Lysiae or. 22., ubi Anytus quidam dicitur σιτοφύλαξ fuisse anno 388°, auxilii nihil peti potest. Ex nulla enim re apparet eum fuisse Socratis accu-

satorem. Copula praeterea, qua Apol. Xen. incipit: Σωκράτους δὲ ἄξιόν μοι δοκεῖ κ. τ. λ., eam, opinor, non coniungit cum aliis Xenophontis scriptis Socraticis (Mem. puta), sed cum iis quae ab aliis scriptoribus publici iuris iam facta erant. Est enim *supplementum*. Ante Memorabilia eam scriptam esse, utique ante Mem. IV. 8. credo, fortasse paulo ante 394.

§ 2. DE PLATONE, SCRIPTORE ET PHILOSOPHO DOCTO, LITERATO, IMITATORE, PLAGIARIO.

O facinus indignum! O audaciam! O impietatem inauditam! Principem philosophorum pro imitatore et plagiario habere!

Talia exclamantes atque vociferantes mihi videor audire nonnullos φιλοπλάτωνας. Libenter credo eos putare laesam esse a me pietatem erga summum scriptorem, quo neque ego elegantiorem tersioremve quemquam novi, et laudo quod imminui dignitatem nolunt, neque patiuntur quicquam detrahi de gloria eius, quem, secundum Ciceronem, quasi quendam deum philosophorum audire debemus [1]).

Ego scio magna ingenia saepe eminus formosissime splendere, comminus illum splendorem et speciem nonnihil obscurari. Procul contemplanda esse nonnumquam magna illa ingenia; qui proprius accedit, ex propinquo cognoscit, etsi admirationis satis superque relinquitur atque manet — semperque mansurum est —, tamen nonnihil aliter sentire incipit. Neque ergo mirabor aliquatenus in Platone quoque comprobari proverbium fallaces saepe esse rerum species. Hoc autem aegre fertur difficillimeque conceditur a nonnullis viris doctis, quos amor atque studium caecos fere reddit, ita ut vera a falsis diiudicare prohibeantur. Quodsi quis demonstrat id, quod tantopere amabant, quoque nihil perfectius cogitari posse arbitrabantur, non sine maculis esse, non omnibus numeris esse absolutum, non centum centesimis esse purum atque

[1]) Cic. de D. N. 2. 12.

perfectum, irascuntur aut moestissimo dolore percutiuntur. Hoc autem solacio fruantur, hac cogitatione se consolentur ne Solem quidem, qui totum mundum illustrat, esse sine maculis, Platonem igitur, Alterum Illum Solem talia non nimis dedecere.

At nobis (noli me scurrilem putare, o candide lector!) amicus quidem Plato, sed magis amica veritas. *Τοιοῦτός τίς εἰμι, οὐ κομψὸς ἀλλὰ συρφετός, οὐδὲν ἄλλο φροντίζων ἢ τὸ ἀληθές.*

Hoc igitur est quod rogamus; semelne tantum peccavit Plato? Semelne tantum alienis se coloribus adornavit, vel, ut verbis minus odiosis utar, unane Apologia Xenophontea perlecta compluria memoria retinuit, quae deinde, utpote idoneam materiem nactus, suae Apologiae insereret, suo pulcherrimo ornatissimoque aedificio adhiberet? An *proprium* hoc est Platonis avide arripere aliunde quae ei placeant quaeque scite adhibere possit? Hoccine saepe eius meritum est quod materiam aliunde sumptam copia, elegantia, luxuria quadam cogitationis plane reformavit, cum orationem suam suis ipsius et aliorum inventis, sententiis, dictis, facetiis exornaret atque illuminaret? Interpretandusne saepe est ex aliorum libris, scriptis, sententiis, locutionibus, verbis? Non alienus fortasse erat ab iis quae ab aliis facete, acute, ingeniose dicta erant (Gallicum: *l'esprit des autres*). Quodsi demonstrare potuerimus Platonem non solum Apol. Xen., sed etiam aliis eiusdem auctoris vel aliorum scriptorum scriptis usum esse, tum simul corroboraverimus sententiam nostram de ratione quae intercedit inter Apol. Xen. et Plat. Apol. Ut tamen recte intelllegatur quid sibi velit hoc caput quidque de Platone scriptore sentiam, comparatio nobis utilis erit.

Vergilius Maro, summus Romanorum poeta et unus omnium suavissimus, mirificus et pulcherrimus fructus est, quem tota antiquitas enutrivit atque educavit. Singulares enim illos versus melle dulciores non omnibus partibus ex uno suo ipsius ingenio procreavit. Alumnus fuit omnium fere poetarum et scriptorum, qui ante eum per longam saeculorum seriem floruerunt. Eorum literarum monumenta penitus cognita habuit. Homerus, Hesiodus, poetae tragici, poetae Alexandrini, philosophi, Romanorum poetae,

eius ingenium aluerunt. Poeta doctus erat, vel, ut cum Horatio loquamur, assidue circumvolabat

et apis Matinae
more modoque
grata carpentis thyma per laborem
plurimum circa nemus uvidique
Tiburis ripas operosa [non!] parvus
Carmina fingebat.

Ad illos flores varii coloris et suci plenos iterum atque iterum ventitabat, singulosque supervolitans ex iis sucum sugebat. Inde fiebat mel et hi fuerunt eius versus quibus dulciores non novi. Fuit enim vir qui solitudines captabat. Intellegebat et sentiebat, ut est apud Tacitum, „si dignum aliquid elaborare et efficere vellet, relinquendam esse conversationem amicorum et iucunditatem urbis, deserenda officia, in nemora et lucos esse secedendum".

Ibi flumina amabat silvasque „inglorius", literis deditus. Neque vita hominum urbana eius ingenio alimentum et materiem praebuit. Hausit ea ex libris atque e rustica vita agricolarum, quos nimium fortunatos praedicabat „sua si bona norint". Ex iis res humanas cognovit. Sicut aliis poetis et scriptoribus, imprimis scenicis, vita urbana est uberrimus fons, ex quo in perpetuum iis profluit nova scribendi materies, ita Vergilius ex libris atque ex natura verba, similitudines, sententias et quasi quandam divinam mentis incitationem petivit.

Viri docti autem, optimi exploratores et imitationum venatores, microscopica, ut ita dicam, inquisitione similitudines, quae latebant, investigaverunt. Neque res eis male cedit. Sunt editiones carminum Vergilianorum instructae tabellis, quae exhibent locos quos Vergilius aliis poetis et scriptoribus debet. Nobis eam ob causam divinus poeta minus carus non est. Novimus enim eius vivendi et scribendi rationem. Neque enim floribus vitio tribuimus quod materiem et alimentum e terra et ex aere exsorbent, neque apibus quod sucum ex floribus ducunt, dummodo novum aliquid exsistat neve sit servilis mutuatio sed splendida mutatio.

Qualis autem Vergilius inter poetas, talis inter philosophos Plato.

Non est quod moneamus hanc comparationem aliquatenus clau-

dicare neque omni ex parte Platonem Vergilii similem esse. Vergilius Romanus erat, Plato Graecus; Vergilius poeta, Plato, etsi poetarum simillimus fuit, tamen philosophus erat. Ille hominum conversationem et vitam urbanam defugiebat, hic e contrario ipse homo erat valde urbanus. Non autem nunc haec duo literarum lumina composuimus, ut dissimilia scrutaremur, sed ut similia illustraremus. Plato quoque multum multumque in literis versatus erat. Philosophus quoque noster tanquam altera apis Matina circumvolitaverat, aliosque scriptores et poetas ligurriebat. Furta ea intexebat disputationibus ita ut flueret eius lingua, sicut apud Vergilium, melle dulcior [1]).

Quod ergo contendimus, hoc est, Platonem multum debere poetis, scriptoribus, philosophis, qui ante eum aut isdem temporibus vixerunt et scripserunt, hoc quidem modo et in hunc sensum ut innumerabiles sententias, locutiones, argumenta, verba et aliquatenus etiam dialogorum compositionem vel sententiarum et disputationum decursum, imitatus vel secutus sit.

Non ignoro hoc verbum imitandi odium movere. Plato enim permultis viris doctis, non solum antiquioribus, verum etiam hodiernis, homo est divinus, sacrosanctus. Noli eum tangere! Xenophontem turpissimis criminibus impune infamare licet, Vergilium viri docti tanquam mures arrodunt neque verentur ei detrahere honorem debitum; Platonis sanctitatem tueri summa cum industria nunquam desinent; pie sancteque deum illum philosophorum colere atque venerari uniuscuiusque officium esse videtur. Quodsi quis ea reprehendere cupit quae vituperanda ducit, tamen praestat tacere altoque silentio praeterire. Caeci enim eius veneratores non patiuntur Platonem ulla vituperatione, ulla macula inquinari et *sine ulla consideratione, sine ulla deliberatione* negant omnino fieri potuisse ut Plato ex alterius scriptis hauriret.

---

[1]) An fortuitum est idem dici de utroque? In vita Vergilii Focae grammatici haec traduntur: cum nasceretur ——— „si vera fides (sed vera probatur)

lata cohors apium subito per rura iacentis
labra favis texit dulces fusura loquellas.
hoc quondam in sacro tantum mirata Platone
indicium linguae memorat famosa vetustas."

Dabo exemplum luculentissimum petitum e libro scriptoris recentioris. H. Maier l.l. pag. 53 loquitur de similitudinibus apud Xenophontem Platonemque obviis: „Sofort in die Augen fallen die Übereinstimmungen zwischen dem Xenophontischen und dem Platonischen Sokrates. Nicht ebenso leicht aber ist es, dieselben als Xenophontische Entlehnungen aus Plato exakt zu erweisen. Andere Erklärungsmöglichkeiten sind nicht ohne weiteres von der Hand zu weisen. *Eine allerdings wird keinen ernsthaften Vertreter finden:* die Annahme einer Benutzung der Memorabilien durch Plato;" et paulo post „aus Konkurrierenden (?) Quellen bis auf den Wortlaut schöpfen, ohne dasz dies durch Gründe der Parteinahme, der Zustimmung oder des Widerspruchs, besonders motiviert war, entsprach vielleicht der Arbeitsweise Xenophons, *sicher aber nicht der Platos.*"

Platonem imitatorem esse non admittit, et statim illud reicit neque consideratur.

Simili modo vir clarissimus E. Zeller l.l. II^4 429[7] *Veterum testimonia* de Platone imitatore et plagiario removit et seposuit.

At nobis deus non est neque divino nimbo fulget. Summus quidem est, homo tamen. Quodsi saepe peccavit, venia parata, homo fuit, humani nil fuisse alienum ab eo putamus. Quam ob rem, etsi nobis quoque „amatus est quantum amabitur nullus", tamen amor ille caecos nos non reddet, et persuasum est nobis aliquanto minus admirationis opus esse, maiore autem studio, ut exploremus, nullo amore occaecati, quomodo singulare illud φαινόμενον, quod est Plato, natum sit et nutritum et auctum. Hoc est officium virorum doctorum ut rogent et explorent, unde omnia proveniant, quis fecerit, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando, sicut caupo ille Henricum Heinium poetam.

Procul esto omnis calor et amor et opinio praeiudicata. Admiratio quoque absit. Haec enim explorationi saepe obest. Moeste nonnulli, opinor, discedent, quibus insita est atque innata cupiditas quaedam et desiderium admirandi adorandique. Frigidam sic fieri doctrinam aiunt, animum autem fovere cupiunt. Tertio vel quarto gradu hi consistant. Veritas enim temperaturam, ut ita dicam, non habet.

At nobis quid faciendum?

In universum penetrandum est intra Platonis *Mentem* et *Animum*, et investigandum quaenam in ipsis agris, saltibus, silvis huius Platonis Animi nata i. e. αὐτόχθονα sint, quaenam e contrario aliunde immigraverint i. e. ἐπήλυδα sint. Quae investigatio et exploratio, admodum lubrica, magna ex parte hominum vires et facultates superat. Est enim partim coniuncta cum difficillimis studiis psychologicis. Quatenus autem aliquid proficere possunt viri docti, omnibus viribus in haec studia incumbendum est, etsi nobis praesidia et instrumenta quibus ad propositum pervenire cupiamus satis praesto non sunt. Eam ob causam Veterum quoque scriptorum testimonia non neglegenda sunt [1]. Melius enim quam nos comparare potuerunt dialogos Platonis cum aliorum scriptis, quae nobis pleraque desunt. Non est quod moneamus sic temere non esse credendum illis scriptoribus; vulgo enim eis *nulla* fides habetur. Nunc autem eos hac nostra nova de Platone scriptore luce contemplari possumus. Si apparebit eiusdem farinae esse ea, quae a Theopompo, Aristoxeno, Alcimo, Porphyrio, aliis vituperantur, atque nostrae de Platone imitatore explorationes, non iam retinebimur quin putemus non invidiae tantum haec crimina deberi, sed re vera a Platone nonnihil esse peccatum.

Ante omnia autem hac in quaestione τὰ φαινόμενα sunt conquirenda et intuenda, deinde recte et apte interpretanda, i. e.: magna series componenda est, quam accuratissime fieri potest, omnium similitudinum quae ubicumque in Platonis dialogis lateant et inveniri et erui possint. Deinde singillatim et coniunctim illae similitudines critice sunt tractandae et interpretandae et inquirendum unde exstiterint. Arte anatomica et exploratione microscopica nobis opus est, quibus dialogi Platonis, magis quam adhuc factum est, sunt insecandi et aperiendi. Hoc modo demonstrandum est, quid Plato debuerit aequalibus et iis qui ante eum scripserunt.

Non ignoro fallacem saepe esse hanc methodon. Non autem unus locus solum considerandus est neque duo, sed e toto Platonis

[1] Congeruntur nonnulli loci Zeller l.l. II⁴ 429⁷.
Vid. etiam Christ., Griechische Litt. Gesch. I⁶ pag. 664⁷.

textu innumerabiles illae similitudines sunt eruendae. Sic sententia nostra de Platone scriptore probe fundata erit et accurate exstructa. Si duo vel tres loci apud viros doctos dubitationem non auferunt, centum vel mille sunt afferendi.

Neque vereantur facere in Platone quod in Vergilio non recusaverunt. Nullus enim scriptor, quantum scio, tantopere quantopere Plato, scatet verbis, dictis, sententiis, quae aliis scriptoribus debentur.

Explorandum igitur est — eodem vel simili modo quo duae Apologiae a nobis sunt collatae —, quae ratio intercedat inter Platonem et Homerum, quid Plato debuerit Homero, Hesiodo, Epicis, Lyricis, Tragicis, Comicis (Epicharmo, Sophroni, *Aristophani,* Eupolidi), Thucydidi, Sophistis (Gorgiae, Protagorae), Hippocrati, Oratoribus (Lysiae imprimis), Socraticis (Aeschini, Antistheni, Aristippo, aliis), *Xenophonti,* aliis.

Et in re philosophica, quid debuerit variis philosophis.

Tum demum recte de toto Platone, qualis scriptor fuerit, iudicare poterimus.

Probe novi me non nova atque inaudita nunc proferre. E. g anno 1880° iam Theodorus Heine in diss. cui titulus: *De ratione quae Platoni cum poetis graecorum intercedit, qui ante eum floruerunt*", nonnullos locos congessit, et demonstravit Platonem, praeterquam quod plurimis glossis Homericis utitur, saepe ad eum nominato aut non nominato alludit, singula verba, glossas, versus adhibere ad orationem exornandam, saepe ad eius sapientiam provocare, aliorum poetarum quoque verba saepe spectare, atque ex parte suae orationi admiscere et ad illustrandam orationem adhibere. Id quod rei peritis vel sic notum erat. Eodem modo alii viri docti, hic atque illic disputaverunt de ratione quae intercedit inter Platonem et alios scriptores *Adhuc autem nondum separatim et coniunctim hac, quam in capite tertio indicavimus, via et ratione totus Plato consideratus est.* Quod si semel factum erit, et manifestum erit Platonem, sicut Vergilium, esse scriptorem, qui permulta aliis scriptoribus debet, multae simul quaestiones solventur, immo hac luce incerti quoque dialogi servabuntur.

Dabo exemplum.

Cobet, summus noster criticus, *pro eius doctrina suaviter, pro eius indole acriter,* in dialogum Alcibiadem priorem invectus est, quod adiectivum *κρήγυος* ibi legebatur [1]). Praeter alias haec quoque causa erat, quod hunc dialogum Platoni abiudicandum esse censebat. Postquam concessit genus dicendi, quo imitator utitur, esse Atticum, purum, tersum, elegans, sic pergit: „Vitium dicendi sat manifestum unum certe deprehendas pag. 111. D. *ἱκανὸν δέ σοι τεκμήριον ὅτι οὐκ ἐπίστανται οὐδὲ κρήγυοι διδάσκαλοί εἰσι τούτων. Φιλόμηρος* est Dialogi auctor et in Homeri verbis ludere et iocari solitus, ut in *ἐν Λακεδαίμονι δίᾳ* et *εὐπρόσωπος ὁ τοῦ μεγαλήτορος δῆμος Ἐρεχθέως* — sed in *κρήγυος* lapsus est et subinepte vocabulum sibi incognitum posuit sensu ficticio". Deinde paulo post: „Qui Platonem bene noverunt, non facile inducunt in animum pro *ἀγαθοὶ διδάσκαλοι* putide et affectate *κρήγυοι διδάσκαλοι* ab ipso dici potuisse."

Credo virum sagacissimum et Graecarum literarum peritissimum haec per imprudentiam emisisse. Ipse enim Plato *φιλόμηρος* est et in Homeri verbis ludere et iocari solet. Ipse Plato appetentissimus est talium vocabulorum. Ex aliis multis haec afferam vocabula Homerica minus usitata et recondita: Phaedr. 251 B. *ἀνακηκίει*, Phaedr. 248 A. *ὑποβρύχιαι*, Phil. 62 B. *μισγαγκεία*.

Satis Homerice et literate loquitur nusquam non.

Hoc solum igitur restabit, ut doleamus, imprimis Platonis adoratores, summum philosophum „putide et affectate" loqui potuisse!

Idem criticus paulo post (Mnem. 1874. pag 379) disputans de Midia *ὀρτυγοτρόφῳ* haec scripsit: „Qui Alcibiadem scripsit faceti ingenii homo sedulo Comicos trivit eorumque dicta et sales suis verbis lubens inserit, quod est a Platonis gravitate alienum." Errat vir acutus. Hoc ipsum propium est Platonis. Scatent, opinor, Platonis dialogi dictis quae aut comicis debuit aut comicorum dictionem redolent.

Quae omnia demonstrare huius dissertationis esse non potest. Pauca tamen adiciam, primum quae etiam magis illustrent

[1]) Mnemosyne 1874 pag. 371.

rationem, quae intercedit inter Platonem et Xenophontem, deinde demonstrabimus eodem modo Platonem usum esse Aristophane. Exempla tantum et paradigmata haec habenda sunt. Noluimus autem finem imponere huic disputationi antequam indicavimus saepius Platonem Xenophontis scripta in suum usum convertisse, neque solum Xenophontis, eius aequalis — hoc enim nonnullis etiam dubium esse potest, propterea quod eodem tempore vixerunt —, sed etiam aliorum scriptorum, qui Platonis aetate ad inferos iam descenderant aut multis annis ante eum scripserunt et obierunt.

De controversia quae agit de Xenophontis Platonisque *Conviviis* nunc non disputabimus. Non est quod addamus nostra sententia Platonem Xenophonteum Convivium perlegisse et secutum esse et imitatum. Multa multi viri docti de hac quaestione in utramque partem disputaverunt. Nobis eam tangere hic in animo non est. Externa, ut ita dicam, argumenta adicere cupimus. Haec enim quaestio, quae per se fortasse solvi non potest, ex aliarum quaestionum comparatione solvenda esse videtur.

§ 3. DE HIPPIA MAIORE.

Hoc quoque in dialogo componendo Xenophontem Platoni ansam et initium et materiem disputandi praebuisse demonstrare conabimur. Simul sic melius intellegetur quaenam ratio intercedat inter Xen. Mem. III 8 et Hippiam maiorem.

Primum similitudines sunt contemplandae, inter quas iam statim haec mirationem movet:

Mem. IV. 4. 5.	Hipp. mai. 281 A.
διὰ χρόνου γὰρ ἀφικόμενος ὁ Ἱππίας Ἀθήναζε παρεγένετο τῷ Σωκράτει κ. τ. λ.	*Ἱππίας ὁ καλός τε καὶ σοφός, ὡς διὰ χρόνου ἡμῖν κατῆρας εἰς τὰς Ἀθήνας.*

Non forte accidit, opinor, ut apud utrumque scriptorem in dialogo in quo Hippias cum Socrate disputat illud *διὰ χρόνου* occurrat. Alterum alterum legisse iam inde libenter statuamus. Apud Platonem illud *διὰ χρόνου* exornatum est et initium fit confabulandi. Plato enim, si semel habet unde proficiscatur, ubertate

et luxuria quadam cogitationis abundat. De more exornatum est ab eo id quod apud alium invenit sic nude et simpliciter enuntiatum. Talem facultatem et studium uberius exornandi saepius in hoc dialogo — et in aliis — exhibuit (vid infra). Quo factum est ut paginae 281 usque ad 286 nihil aliud sunt atque exordium in quo Hippias ridetur — cum aniculis comparatur 286 A —, deinde 286 C demum incipit disputatio περὶ καλοῦ. Quae et apud Xenophontem et apud Platonem simile initium habet:

Mem. III. 8. 4.	Hipp. m. 286 C:
πάλιν δὲ τοῦ Ἀριστίππου ἐρωτῶντος αὐτόν, εἴ τι εἰδείη καλόν. κ. τ. λ.	*ἔναγχος γάρ τις, ὦ ἄριστε, εἰς ἀπορίαν με κατέβαλεν ἐν λόγοις τισὶ τὰ μὲν ψέγοντα ὡς αἰσχρά, τὰ δ' ἐπαινοῦντα ὡς καλά, οὕτω πως ἐρόμενος καὶ μάλα ὑβριστικῶς. πόθεν δέ μοι σύ, ἔφη, ὦ Σώκρατες, οἶσθα ὁποῖα καλὰ καὶ αἰσχρά; ἐπεὶ φέρε, ἔχοις ἂν εἰπεῖν τί ἔστι τὸ καλόν;*

Unde factum est ut ignotus ille homo a Platone in dialogum induceretur? Quis fuit?

Varie viri docti hoc interpretati sunt.

Stallbaum[1]) arbitrabatur inductum esse hominem, quo gravius atque acerbius sic Socrates Hippiam insultare et increpare posset, cf. 292 C, *ἐγώ σοι ἐρῶ —— μιμούμενος ἐκεῖνον, ἵνα μὴ πρὸς σὲ λέγω ῥήματα, οἷα ἐκεῖνος εἰς ἐμὲ ἐρεῖ, χαλεπά τε καὶ ἀλλόκοτα.* Cum autem paulo post (298 B) ipse Socrates confitetur ignotum illum hominem esse Socratem, filium Sophronisci, omnis causa latendi sub hac ignoti hominis persona evanescit.

Dümmler[2]) opinatur sub Hippiae persona latere Isocratem. Hanc coniecturam, quae levissimis argumentis nititur, Horneffer[3]) acerrime aggressus est rectissimeque refutavit. Difficilimum enim est intellegere, per Hippiam Isocratem significari, ex Hippiae persona

[1]) Editio vol. IV sect. I pag. 149.

[2]) Akademika 57. q. s.

[3]) Diss. Gött. 1895, de Hippia maiore qui fertur Platonis 60. q. s.

Isocratem agnosci. Argumenta et indicia non proferuntur idonea, quae nobis hac in re viam monstrent. Nihilominus Joël[1]) hanc lubricam viam ire pergit et contendit ignotum illum hominem esse Socratem Antisthenis vel ipsum Antisthenem. „Dieser Dialog setzt eine kynische Kritik der Gorgianischen Helenapanegyrik voraus; Isokrates wandte sich mit der seinigen wieder gegen Antisthenes, mit dessen Elenktik wiederum Plato hier zunächtst Isokrates in der Maske seines Schwiegervaters Hippias schlägt, um eben schliesslich auch die Antisthenische Aesthetik ohnmächtig zu zeigen, bedürftig der Idee des Schönen".

Fingere et comminisci talia, proferre eiusmodi coniecturas difficile non est. Abstinere eis difficilius. Difficillimum autem firmis gravibusque argumentis talem opinionem defendere. Id quod adhuc a Joëlio nondum factum est. Exspectandum igitur dum corroboraverit sententiam suam de Antisthene primum Gorgiam refutante, de Isocrate deinde Antisthenem refellente, de Platone ignotum illum hominem (= Socratem Antisthenis vel ipsum Antisthenem) inducente ut Isocratem derideret, postremo ipsum illum ignotum hominem (= Socratem Antisthenis, vel ipsum Antisthenem) impugnante.

Sunt viri docti credulitate quadam incredibili, quae montes movere possit. Ignota et caeca illa scripta Antisthenis vere aurariae sunt, aurifodinae ex quibus nihil non effoditur. Nimis multa (vid. cap. I) Joël putat esse propria Antisthenis quae iam Socratis fuerunt. Ipse Socrates et primus Cynicorum erat — inter alia —. Errat vehementer Joël qui omnia quae cynicorum sunt, Antistheni deberi contendit, Socrati abiudicat.

Quid restat? Quae interpretatio a nobis proponetur?

Credo rem ita se habere. Profectus est Plato a Xen. Mem. III. 8. In illa paragrapho Aristippus satis ὑβϱιστικῶς voluit imponere Socrati seseque ulcisci de pulchro Socratem interrogans. Translulit hunc hominem in suum dialogum Plato. Haud ineptum visum est Platoni sub ea persona, mutatis partibus, ipsum Socratem latere, et verum quidem et genuinum Socratem, non perpolitam illam Platonicorum dialogorum dramatis personam,

[1]) l. l. II p. 747.

non urbanum illud „πρόσωπον", non Socratem Platonicum, qui tantum non semper comem atque affabilem se praebebat, sed Socratem verum, integrum, sincerum, historicum, ut ita dicam, qualis a nobis in capite primo depictus est. Is affabilis et urbanus, imprimis erga amicos, esse potuit, saepe autem iracundia quadam correptus durus et acerbus a conviciis non abhorrebat, cf. 290 A ὦ τετυφωμένε σύ; 292 D λίθος καὶ μυλίας μήτε ὦτα μήτ' ἐγκέφαλον ἔχων.

Nunc melius intellegimus quid ignotus ille homo sibi velit; alter ille Socrates est filius Sophronisci, qualis in vita erat (Ἐξονομακλήδην 298 B nominatur!) Alter autem Socrates Platonicus.

Duritia et acerbitas veri Socratis impedimento erant quominus in scenam produceretur a Platone (292 C). Hinc eius verba ab altero illo Socrate Platonico, homine perpolito et urbano, laudantur tantum. Videmus quomodo is ferocissime Hippiam, occasione oblata, insultaturus et increpiturus sit.

Similes autem partes agere in paragrapho Mem. Aristippum atque ignotum hominem in Hippia dialogo, iure meo efficere mihi videor primum ex eo quod haec duo scripta permulta alia habent communia et simila, deinde quod et Aristippus et ignotus ille de pulchro Socratem interrogant, disputatio autem est similis, postremo quod et Aristippus apud Xen. et ignotus apud Platonem Socratem deridere cupiunt et partes agunt τοῦ ἐξελέγχοντος.

Mem. III. 8. 1. Ἀριστίππου δὲ ἐπιχειροῦντος ἐλέγχειν τὸν Σωκράτην, ὥσπερ αὐτὸς ὑπ' ἐκείνου τὸ πρότερον ἠλέγχετο κ. τ. λ.	Hipp. m. 286 E. μὴ ἐξελεγχθεὶς τὸ δεύτερον αὖθις γέλωτα ὄφλω. Hipp. m. 287 B. ἐγώ σε διδάξαιμι ὥστε μηδέν' ἀνθρώπων δύνασθαί σε ἐξελέγχειν.

Aliae autem similitudines hae sunt [1]):

Mem. III. 8. 6. Ἆρ' οὖν, ἔφη, καὶ κόφινος κοπροφόρος καλόν ἐστιν;	Hipp. m. 288 C. ὦ βέλτιστε σύ, τί δὲ χύτρα καλή; οὐ καλὸν ἄρα;

[1]) Vidi Joël l. l. I 426, 434, 435 nonnulla similia indicavisse. Eius interpretationem 446 — Antisthenem utriusque fontem fuisse — probare non possum

Ille corbis splendidum exemplum est rustici nostri Socratis; nimis durum autem erat et acerbum et singulare quam quod a Xenophonte fingeretur et excogitaretur — recte hoc iam statuit GOMPERZ „*Griech. Denker*" II 64 —. Talia transferuntur, non finguntur, utique non ab homine urbano, qualis Xenophon erat. Platoni nimis sordidus visus est, neque sic temere hoc imitari potuit. Mutatus est in ollam. Re vera autem talia esse ipsius Socratis et apud Platonem dilucet. Verba enim — honorifica! — *τοιοῦτός τις, ὦ Ἱππία, οὐ κομψὸς ἀλλὰ συρφετός, οὐδὲν ἄλλο φροντίζων ἢ τὸ ἀληθές* optime depingunt verum Socratem. Conferatur similis sententia in Phaedone 91 B, ex qua patet in vero investigando alia omnia parvi esse facienda. *σμικρὸν φροντίσαντες Σωκράτους, τῆς δὲ ἀληθείας πολὺ μᾶλλον.*

Neque homines, neque decorum curans, durus, acerbus Socrates verum venatur.

Huic autem quam supra memoravimus interrogationi simili modo respondetur:

Mem. III. 8. 6.	Hipp. m. 288 D.
Νὴ Δί', ἔφη, καὶ χρυσῆ γε ἀσπὶς αἰσχρόν, ἐὰν πρὸς τὰ ἑαυτῶν ἔργα ὁ μὲν καλῶς πεποιημένος ᾖ, ἡ δὲ κακῶς.	*εἴπερ ἡ χύτρα κεκεραμευμένη εἴη ὑπ' ἀγαθοῦ κεραμέως λεία καὶ στρογγύλη καὶ καλῶς ὠπτημένη κ. τ. λ.*

Aurum autem turpe esse posse demonstratur apud Platonem Hipp. m. 290 E, deinde haec sententia legitur 293 E:

ἔφαμεν τὸν χρυσόν, οἷς μὲν πρέπει, καλὸν εἶναι, οἷς δὲ μή, οὔ, καὶ τἆλλα πάντα, οἷς ἂν τοῦτο προσῇ.

Idem autem apud Xen. Mem. III. 8. 7.

πάντα γὰρ ἀγαθὰ μὲν καὶ καλά ἐστι πρὸς ἃ ἂν εὖ ἔχῃ, κακὰ δὲ καὶ αἰσχρὰ πρὸς ἃ ἂν κακῶς.

Idem autem pulchrum esse posse et turpe apud utrumque legitur:

Mem. III. 8. 6.	Hipp. m. 289 C.
λέγεις σύ, ἔφη, καλά τε καὶ αἰσχρὰ τὰ αὐτὰ εἶναι;	*τὸ καλόν ——— οὐδὲν μᾶλλον καλὸν ἢ αἰσχρόν;*

Demonstratur apud utrumque id quod utile est pulchrum esse; simillimis exemplis nititur disputatio. vid. Mem. III. 8. 4—6 et Hipp. m. 295 C—E.

Mem. III. 8. 4.

ἔστι μὲν τῷ καλῷ πρὸς δρόμον ἀνθρώπῳ ἄλλος ἀνόμοιος καλὸς πρὸς πάλην.

Mem. III. 8. 5.

τἆλλα πάντα — καλά τε κἀγαθὰ νομίζεται, πρὸς ἅπερ ἂν εὔχρηστα ᾖ.

Hipp. m. 295 C—E.

τὸ ὅλον σῶμα οὕτω λέγομεν καλὸν εἶναι, τὸ μὲν πρὸς δρόμον, τὸ δὲ πρὸς πάλην — nonnulla alia exempla adduntur Platonica cum ubertate, deinde, sic ut apud Xen., sed magis philosophice:

τὸ μὲν χρήσιμον καὶ ᾗ χρήσιμον καὶ πρὸς ὃ χρήσιμον καὶ ὁπότε χρήσιμον καλὸν φάμεν εἶναι, τὸ δὲ ταύτῃ πάντῃ ἄχρηστον αἰσχρόν.

Post thesin utile = pulchrum additur bonum = pulchrum apud Platonem Hipp. m. 296 E.

Idem apud Xen. Mem. III. 8. 5. πρὸς ταὐτὰ πάντα καλά τε κἀγαθά ἐστι.

Hoc autem apud Platonem refutatur postea 297 C. οὐδὲ ἄρα τὸ καλὸν ἀγαθόν ἐστιν, οὐδὲ τὸ ἀγαθὸν καλόν; immo ridetur haec thesis 297 D.

Igitur *impugnatur* et *reicitur* id quod Socrates Xenophonteus rectum et verum esse credebat.

Hoc gravissimum argumentum et documentum nobis esse videtur Xenophontem haec *non* ex Platone collegisse. Omni humanae rationi repugnat aliquem in re philosophica imitari alterum ita ut illam tantum partem disputationis furetur quam alter postea reiecerat. Si Xenophon hunc Platonis dialogum legisset, procul dubio non media in disputatione substitisset, sed ad finem eam perlegisset. Tum etiam ei apparuisset talem sententiam in qua Socrates Xenophonteus acquievit non sic temere ponendam esse sed addenda nonnulla. Ignotum igitur fuisse Xenophonti Hippiam dialogum cum Mem. III, 8 (idem IV. 6, 8—9.) scriberet per se intellegitur. Similitudines autem optime explicabuntur, si sumemus

Platonem — *sic ut ex aridis Annalibus scriptor historicus*, Tacitum puta —, materiem sumpsisse e Xenophontis scriptis, eamque in suum usum subegisse et exornavisse, ita ut fieret non modo non servilis mutuatio sed etiam lepida et faceta mutatio et admirabilis in philosophando progressio.

Postquam autem sententia, qua pulchrum est id quod utile et bonum est, impugnata et reiecta est, apud utrumque sequitur alia definitio, sc. ea quae grata sunt pulchra sunt.

Apud Xenophontem III. 8. 8—10 pulcherrimae domus habentur quae sunt utilissimae i. e. quae sunt gratissimae et iucundissimae.

Apud Platonem ab ipso Socrate haec definitio proponitur comica autem ironia, cf. Hipp. m. 297 E. πῶς τι ἄρ' ἂν ἀγωνιζοίμεθα (idem Arist. Vespes 993).

Imprimis autem nonnulla verba a Platone in suum dialogum translata sunt ex Xenophonte.

Mem. IV. 8. 10.	Hipp. m. 298 A.
γραφαὶ δὲ καὶ ποικιλίαι πλείονας εὐφροσύνας ἀποστεροῦσιν ἢ παρέχουσι.	——— τὰ ποικίλματα πάντα καὶ τὰ ζωγραφήματα καὶ τὰ πλάσματα τέρπει ἡμᾶς ὁρῶντας, ἃ ἂν καλὰ ᾖ. Sequuntur nonnulla ex eo genere exempla et vocabula.

Videmus hanc similitudinem dissimiles, vel potius contrarias, opiniones continere. Xenophontea nobis vere Socratica videtur. Socrates enim ab omni luxuria videtur abhorruisse. Contra Platonica magis Platonem decet, hominem politioris humanitatis et in vita et victu paulo delicatiorem. Praeterea ne hoc quidem omittendum. Sic ut Hipp. 295 C D., postquam verba πρὸς δρόμον, πρὸς πάλην transtulit, statim, de more, ubertate quadam aliorum exemplorum disputationem exornavit et illuminavit, ita nunc quoque alia vocabula adduntur. An hoc factum est ut imitationem occultaret?

Apud Xenophontem uberius tractatur quaestio de modo aedificandi in Oec. 9, ubi haec verba iterum leguntur — vere Xenophontea facta.

Igitur, quod pro certo scimus, hoc est: Mem. III. 8. et Hippiam maiorem simillimam disputationem exhibere, simillimis verbis, exemplis hic atque illic expressam. Uterque haec ex communi fonte habere potuit, Socratem puta, vel, ut vult Joël, Antisthenem. Socratem communem fontem fuisse non credo.

a) Uterque scriptor habet similitudinem, quam veri simile est non deberi Socrati. Etenim illud *διὰ χρόνου* in Mem. est, opinor, verbum scriptoris, qui illud colloquuim tradidit, i. e. ipsius Xenophontis. In dialogo Hippia Socrates illud *διὰ χρόνου* dicit. Sed ille sermo Socraticus fictus est. Hoc vel unam ob causam mihi persuasissimum est. Nullus enim, ne stultissimus quidem, ut omittam Hippiam, sic se derideri et insultari et increpari patitur, opinor.

b) Vidimus eum, qui Hippiam maiorem scripsit, melius et magis philosophice quaestionem tractare quam Xenophontem, immo impugnare et reicere ea, quae apud Xen. vera habentur.

Vidimus etiam Socratem Platonicum sententiam aperire, quae contraria erat opinioni Socratis Xenophontei. Quae omnia nobis dissuadent, ne credamus utrumque scriptorem haec sublegisse ex ipsius Socratis ore.

c) Si uterque scriptor refert aliquatenus verba ab ipso Socrate dicta, valde mirandum est bis eandem disputationem esse habitam — similibus exemplis, dissimilibus sententiis et exitu! —, in altera autem ab Aristippo *ἐξελέγχεσθαι* Socratem, in altera ipsum Socratem *ἐξελέγχειν*. An imitator Socrates — verum nunc et historicum dico, non Platonis *πρόσωπον* — factus esse Aristippi putandus est? Magister imitator discipuli??

Quod autem Antisthenem utriusque fontem fuisse perhibent, hoc quidem plane nescimus. Optime fieri potest, ut demonstretur ab aliquo viro docto hanc disputationem non alienam fuisse ab Antisthenis placitis. Esto. Primum autem tum demonstrandum est talia fuisse propria Antisthenis, *non* fuisse Socratis. Hoc dico: qui consanguinitatem agnoscit inter disputationes apud Xenophontem et Antisthenis philosophiam — paucissima, admodum lubrica, de hoc Socratis discipulo nobis innotuerunt! — ei

non licet sine firmis argumentis perhibere Antisthenem a Xenophonte compilatum esse. Utrumque, et Antisthenem et Xenophontem, e Socrate hausisse magis credendum esse arbitror. Joël enim in libro suo non satis distinxit inter Socratem et Antisthenem. *Demonstrandum erat hic Socratis philosophiam finem habere, hic incipere Antisthenem.* Non videtur intellexisse Antisthenem et cynicorum placita magna ex parte e Socrate esse interpretanda et ab eo originem duxisse.

Utrum autem levius est et probabilius, unum scriptorem, sc. Platonem, non tamen servilem in modum, ex altero, sc. Xenophonte, hausisse, an duos, et Platonem et Xenophontem, ex uno Antisthene?

Utrum gravius est, unum splendidum, elegantissimum, ingeniosissimum imitatorem habere, cuius talia propria sunt — sit venia verbis, saepe imitatio superat exemplar —, an duos? Neque solum hac in disputatione de pulchro sed etiam in aliis; non enim *separatim* tales similitudines et imitationes sunt tractandae, sed *coniunctim.* Duo igitur imitati sunt Antisthenis Apologiam, Antisthenis Symposium, Antisthenis Alcibiadem [1]. Hac in re viri docti — imprimis Joël —, sibi constanter disputare debent.

Pauciora de Antisthene, mea sententia, ad nos pervenerunt, quam ut ab hoc viro, tanquam ex fonte, Xenophon et Plato repeti possent.

§ 4. DE PLATONE ARISTOPHANIS IMITATORE.

Aristophanem quoque propter fecundissimi ingenii splendidissima inventa et linguae venustatem et dictionis elegantiam a Platone assidue et diligenter lectitatum esse docet Olympiod. Vita III: *ἔχαιρε δὲ πάνυ καὶ Ἀριστοφάνει τῷ κωμικῷ καὶ Σώφρονι, παρ' ὧν καὶ τὴν μίμησιν τῶν προσώπων ἐν τοῖς διαλόγοις ὠφελήθη· λέγεται δ' οὕτως αὐτοῖς χαίρειν, ὥστε καὶ ἡνίκα ἐτελεύτησεν εὑρεθῆναι ἐν τῇ κλίνῃ αὐτοῦ*

[1]) Ut omittam alias permultas similitudines apud Xenophontem Platonemque obvias quae non debentur Socrati.

Ἀριστοφάνην καὶ Σώφρονα. Καὶ ἐπίγραμμα δὲ τοιοῦτον εἰς Ἀριστοφάνην αὐτὸς πεποίηκεν·

> αἱ Χάριτες τέμενός τι λαβεῖν ὅπερ οὔτι πεσεῖται
> ζητοῦσαι ψυχὴν εὗρον Ἀριστοφάνους.

Etsi libenter confiteor talia non sic temere tanquam vera esse accipienda, tamen arbitrabor eos errare, qui perhibeant hisce verbis omnem fidem historicam esse denegandam. Ex ipsis enim Platonis dialogis permulti loci nobis suadent, ut putemus re vera Aristophanem Platoni optime notum fuisse, fortasse etiam ab eo in deliciis habitum esse.

Nominatim eius verba laudat Plato in Symp. 221 B, notissimo loco, quo agitur de Socratis habitu in pugna; item in Apologia 19 C, ubi iterum Nubes respiciuntur.

Nullo autem auctore nominato philosophum nostrum, qui ipse confitetur sine ridiculis seria disci et doceri non posse [1]), saepius eius festivum et lepidum dicendi genus esse imitatum, dicta, inventa comici aut procul aut ex propinquo secutum esse et in suum usum convertisse, eius copia verborum et ingeniosa in dicendo ubertate suum quoque vocabularium, quod vocant, auxisse et ornavisse facile intellegimus. Harum autem imitationum breviter indicabimus nonnulla exempla, quorum ultro nobis in mentem venit. Quodsi quis, qui et Aristophanis et Platonis habeat interiorem notitiam, plura ex eo genere data opera congerere velit, permulta procul dubio inveniat.

I. In Apologia Platonica legimus Socratem Platonicum non poenam sed gratiam et honorem sibi deposcere. Suspicati sumus [2]) in eo loco componendo Platonem profectum esse a simili loco in Xen. Mem., ubi non Socratis verba referuntur sed ipse Xenophon cum gravitate quadam suam sententiam de Socratis accusatione

---

[1]) Leg. 816 D. *τὰ τῶν ἐπὶ τὰ τοῦ γέλωτος κωμῳδήματα τετραμμένων, κατὰ λέξιν τε καὶ ᾠδὴν καὶ κατὰ ὄρχησιν καὶ κατὰ τὰ τούτων πάντων μιμήματα κεκωμῳδημένα, ἀνάγκη μὲν θεάσασθαι καὶ γνωρίζειν· ἄνευ γὰρ γελοίων τὰ σπουδαῖα — μαθεῖν μὲν οὐ δυνατόν, εἰ μέλλει τις φρόνιμος ἔσεσθαι.*

[2]) Vid. pag. 103.

et damnatione opponit sententiae iudicum, i. e. Atheniensium. Utcumque res se habet, Platone iudice victus in prytaneo praemium et honos erat, qui Socrati debebatur. Ne hoc quidem inventum novum ipsius Platonis fuisse sed ei a comico subiectum esse suspicor. Utique Aristophanes Cratinum, et ipsum senem, sic ut Socrates, optimeque de civitate Atheniensium meritum, sic ut Socrates, tali honore dignum iudicabat Equites 535. Eo magis autem adducor ut hanc suspicionem proferam, quod identidem in Equitibus fabula sanctissimum illud coenaculum nominatur vel, quod eodem redit, ridetur, Eq. 167, 281, 410, 575, 702, 709, 1409, item Ranae 764.

Concedo nos hic versari in re admodum lubrica et admodum incertam esse hanc suspicionem. Tamen nobis operae pretium esse videbatur eam in medium proferre.

Aliam in Apol. Plat. imitationem Schanzius deprehendit cf. Ed. Apol. pag. 16, 95. Suspicatur Platonem, cum partes accusationis divideret inter tres accusatores 23 E., imitatum esse et secutum Aristophanem, qui in comoedia cui titulus Gerytades, tres legatos ad inferos descendentes induxerat, inter quos ipse fuerat Meletus.

II. In Euthydemo multa comicum redolent. Ex iis affero locum, ubi Socrates semet ipse tradit erudiendum duobus sophistis, qui praestigiatorum in modum mirabilia efficiunt et mirimodis homines e malis in bonos transformare possunt, velutsi ipsa Medea magicam suam artem illis tradidisset, 285 C D: *εἰ δὲ ὑμεῖς οἱ νέοι φοβεῖσθε, ὥσπερ ἐν Καρὶ ἐν ἐμοὶ ἔστω ὁ κίνδυνος· ὡς ἐγώ, ἐπειδὴ καὶ πρεσβύτης εἰμί, παρακινδυνεύειν ἕτοιμος καὶ παραδίδωμι ἐμαυτὸν Διονυσοδώρῳ τούτῳ ὥσπερ τῇ Μηδείᾳ τῇ Κόλχῳ. ἀπολλύτω με, καί, εἰ μὲν βούλεται, ἑψέτω, εἰ δ', ὅτι βούλεται, τοῦτο ποιείτω· μόνον χρηστὸν ἀτοφηνάτω.* Cuius exemplum Ctesippus fortiter sequi velle se declarat; *'Εγὼ μέν, ἔφη, καὶ αὐτός, ὦ Σώκρατες, ἕτοιμός εἰμι παρέχειν ἐμαυτὸν τοῖς ξένοις, καὶ ἐὰν βούλωνται δέρειν ἔτι μᾶλλον ἢ νῦν δέρουσιν, εἴ μοι ἡ δορὰ μὴ εἰς ἀσκὸν τελευτήσει, ὥσπερ ἡ τοῦ Μαρσύου, ἀλλ' εἰς ἀρετήν.*

Unicuique, cui Aristophanis Nubes ignotae non sint, talia legenti

subit pulcherrimus et lepidissimus locus, ubi similiter alter homo grandaevus se tradit instituendum philosopho cuidam, qui, sicut Dionysodorus et Euthydemus, nihil non perficere et perpetrare potest, omnia pericula subire paratus, dummodo meliore condicione usurus sit. Immo illud ἀσκὸν δείρειν utroque loco legitur. Alia quoque vocabula literis cursivis a nobis significata imitationem prodeunt.

Nubes 438 sqq.: νῦν οὖν χρήσθων ἀτεχνῶς
ὅ τι βούλονται·
τουτὶ τοὐμὸν σῶμ' αὐτοῖσιν
παρέχω τύπτειν, πεινῆν, διψῆν,
αὐχμεῖν, ῥιγῶν, ἀσκὸν δείρειν,
εἴπερ (cf. Euthyd. μόνον) τὰ χρέα διαφευ-
[ξοῦμαι, κτλ.

III. In Phaedro quoque dialogo comicorum festivitatem et leporem identidem agnoscimus. Phaedr. 236, lepidissimo loco, ubi iuvenis Socratem vi et minis orationem habere cogit, per figuram praeteritionis comicorum facetias imitatus est: ἵνα μὴ τὸ τῶν κωμῳδῶν φορτικὸν πρᾶγμα ἀναγκαζώμεθα ποιεῖν ἀνταποδιδόντες ἀλλήλοις ——— εἰ ἐγώ, ὦ Σώκρατες, Σωκράτην ἀγνοῶ, καὶ ἐμαυτοῦ ἐπιλέλησμαι κτλ. Affirmavit Phaedrus, i. e. Plato, se comicorum scurriles iocos non imitaturum esse. Quae affirmatio quanti facienda sit, docent ea quae sequuntur. Iam statim proverbialis illa locutio ἐσμὲν δὲ μόνω ἐν ἐρημίᾳ in comoedia saepius usitata esse videtur. cf. Terentius Phormio 633, Plaut. Poen. 891. Iocculariter quoque Phaedrus incertus est, per quem deum iuret: ὄμνυμι γάρ σοι — τίνα μέντοι, τίνα θεῶν; Item minae quae sequuntur iocose dictae, nec non exclamatio illa Socratis: βαβαῖ, ὦ μιαρέ κτλ. Tota haec dialogi pars, etsi sermo urbanior est quam in comoedia et sales quoque urbanitatis quendam colorem habent, digna est quae in Aristophanis fabula legatur. Vid. praeterea verba Τί δῆτα ἔχων στρέφῃ, similiaque in Arist. Ach. 385, ubi Dicaeopolis orationem habere cogitur a coryphaeo: τί ταῦτα στρέφει κ.τ.λ. Quod autem paulo post Socrates caput obvolvit, cum orationem fere dithyrambicam habiturus est — quae duae res mihi videntur nonnihil esse diversae —, hoc

quoque comicorum est et statim in memoriam revocat Strepsiadem, qui idem fecit de rebus suis meditaturus, Nub. 727, 735, 740.

Comicum vel potius comicos respicit etiam Phaedr. 270 A: πᾶσαι ὅσαι μεγάλαι τῶν τεχνῶν προσδέονται ἀδολεσχίας καὶ μετεωρολογίας φυσέως πέρι κτλ. Similiter Phaed. 70 C: *nemo nunc mihi exprobrabit me* ἀδολεσχεῖν, οὐδ' εἰ κωμῳδοποιὸς εἴη, cf. Nub. 1485, ubi comburunt τὴν οἰκίαν τῶν ἀδολεσχῶν et Eupol. fr. 352

μισῶ δὲ καὶ τὸν Σωκράτη,
τὸν πτωχὸν ἀδολέσχην,
ὃς τἆλλα μὲν πεφρόντικεν,
ὁπόθεν δὲ καταφαγεῖν ἔχοι,
τούτου κατημέληκεν.

Vocabulum ἀδολεσχία, primum in dedecus datum, sensim verbum honorificum a Platone habitum esse videtur testari Phaedr. 270 A. Hunc autem dialogum continere colloquium quod magna ex parte per lusum atque lasciviam habitum est, si cui adhuc dubium videtur, manifestum fit verbis quae in fine dialogi leguntur 278 B, ubi Socrates οὐκοῦν, inquit, ἤδη πεπαίσθω μετρίως ἡμῖν τὰ περὶ λόγων. Eodem modo comoedia, simillimis verbis, nonnumquam desinebat, cf. verba in fine fabulae Thesmophoriazusarum ἀλλὰ πέπαισται μετρίως ἡμῖν, et Nub. 1510 κεχόρευται γὰρ μετρίως τό γε τήμερον ἡμῖν.

IV. Theaetetus quoque dialogus nonnulla habet quae huc faciunt. Nota est similitudo qua Plato verba Aristophanis e Nubibus fabula 943 imitatus est: ῥηματίοισιν καινοῖς αὐτὸν καὶ διανοίαις κατατοξεύσω Idem enim Theaet. 180 A. legitur ὥσπερ ἐκ φαρέτρας ῥηματίσκια αἰνιγματώδη ἀνασπῶντες ἀποτοξεύουσι.

Notissima autem comparatio de Socrate matris artem — τὴν τῆς μαιεύσεως τέχνην — exercente (Theaet. 148 E—151 E) componenda est cum vss. Nub. 137:

καὶ φροντίδ' ἐξήμβλωκας ἐξηυρημένην,

et vs. 139:

ἀλλ' εἰπέ μοι τὸ πρᾶγμα τὸ ἐξημβλωμένον.

In Edit. ad vs. 137 et in proleg. XXXI v. cl. v. Leeuwen,

magister quondam aestimatissimus, observat „comici verba testari Platonem hanc comparationem magistro non de suo tribuisse", sed „ipsius Socratis dicta ab altero — sc. ab Aristophane — deridenda propinari spectatoribus, ab altero — sc. a Platone — pia memoria recoli dotibusque sui ingenii exornari." Doleo me non assentiri posse viro doctissimo deque Aristophane optime merito. Neque ipsum Platonem haec excogitavisse, neque e magistri ore sublegisse arbitror, sed, cum Aristophanis versus legeret, vivide eos Platonis mentem animumque tetigisse suspicor et inde factum esse ut memoria eos retineret posteaque ab hoc in Nubibus loco profectus e lepidissimo Aristophanis invento pulcherrimam suam comparationem de Socratis in re philosophica arte obstetricia imitando effingeret. Hoc indicare mihi videtur verbum admodum insolitum, idoneum autem quod a comico adhiberetur, dico *ἐξαμβλίσκειν* 149 D, 150 E.

Hoc accedit quod versus qui sequuntur in Nubibus Platonis menti obversati esse videntur, cum alium in eodem dialogo locum scriberet, dico eos, ubi discipulus ait ea, quae Strepsiadi dicturus est, arcana esse habenda neque licere ea divulgare, Nub. 140:

ἀλλ' οὐ θέμις πλὴν τοῖς μαθηταῖσιν λέγειν,

vix tandem, postquam Strepsiades dixit se mox condiscipulum fore, precibus victus,

λέξω, inquit; *νομίσαι δὲ ταῦτα χρὴ μυστήρια.*

Quibuscum versibus viri docti iam contulerunt Theaet. 155 E. *ἄθρει δὴ περισκοπῶν, μή τις τῶν ἀμυήτων ἐπακούῃ.*

Similiter res se habet Euthyd. 277 D, ubi Socrates auxilio venit iuveni, qui opprimitur a sophistis et ad incitas redigitur; hisce verbis eius animum confirmat: „Noli mirari, Clinia, si nova et insolita tibi videtur ista disputatio. Nondum fortasse intellexisti quare peregrini paulo durius tecum agant. *Ποιεῖτον δὲ ταὐτὸν ὅπερ οἱ ἐν τῇ τελετῇ τῶν Κορυβάντων, ὅταν τὴν θρόνωσιν ποιῶσιν περὶ τοῦτον ὃν ἂν μέλλωσιν τελεῖν.* Paulo post: *νῦν οὖν νόμισον τὰ πρῶτα τῶν ἱερῶν ἀκούειν τῶν σοφιστικῶν.* Illud *νόμισον* imprimis *mire* con-

gruit cum verbo *νομίσαι* apud Aristophanem. Toti illi cum Corybantarum sacris comparatione videtur exemplo fuisse lepidissimus locus in Nubibus, ubi Strepsiades, antequam in meditaculum discipulus admittitur, a Socrates in Sacro Grabato (vern: *de Heilige Brits*) initiatur philosophorum mysteriis. Ibi quoque sine dubio ritus ille initialis Corybantarum respicitur, cf. Nub. 254:

κάθιζε τοίνυν ἐπὶ τὸν ἱερὸν σκίμποδα.

nec non Nub. 258:

ἀλλὰ ταῦτα πάντα τοὺς τελουμένους
ἡμεῖς ποιοῦμεν.

Talia autem deberi solius Aristophanis fecundissimae inventioni atque cogitationi, neque ipsius Socratis dicta ab utroque respici locis laudatis, melius fortasse et clarius apparebit ex his similitudinibus:

Nub. 226 sqq. Socrates in machina suspensus, alter Euripides, tumide affatur mortalem, asseverans in altiores regiones adscendendum esse, si quis res coelestes recte contemplari et cognoscere velit [1]). Similis nobis ostendebatur Euripides Acharn. 398, cuius corpus domi erat, cuius mens et animus in cogitatione versantes foris circumvolitabant.

ὁ νοῦς μὲν ἔξω ξυλλέγων ἐπύλλια
οὐκ ἔνδον, αὐτὸς δ' ἔνδον ἀναβάδην ποιεῖ
τραγῳδίαν.

Echo quandam horum locorum percipere nobis videmur in Theaet. 173 E, ubi philosophus — *ὁ ἐν φιλοσοφίᾳ τεθραμμένος* — opponitur causidico: *τῷ ὄντι τὸ σῶμα μόνον ἐν τῇ πόλει κεῖται αὐτοῦ καὶ ἐπιδημεῖ, ἡ δὲ διάνοια, ταῦτα πάντα ἡγησαμένη σμικρὰ καὶ οὐδέν, ἀτιμάσασα πανταχῇ πέτεται κατὰ Πίνδαρον „τᾶσ τε γᾶς ὑπένερθε" καὶ τὰ ἐπίπεδα γεωμετροῦσα, „οὐρανοῦ θ' ὕπερ"*

[1]) Conferantur etiam cum vss. 228—234 quae leguntur Phaedr. 246, notissimo loco, ubi Plato philosophice, vel potius poetice, eadem dicit, quae Aristophanes dixerat comice; praeterea huc facit Phaedr. 270 A, ubi legimus unde *τὸ ὑψηλόνουν* acquiratur.

ἀστρονομοῦσα καὶ πᾶσαν πάντῃ φύσιν ἐρευνωμένη τῶν ὄντων ἑκάστου ὅλου, εἰς τῶν ἐγγὺς οὐδὲν αὑτὴν συγκαθιεῖσα.

Etsi toto hoc loco, Theaet. 172 D—176, hic atque illic verus atque historicus Socrates respici videtur [1]), statim intellegitur nunc quidem (173 E) non patrem philosophiae tanquam exemplum philosophorum generis nobis depingi, neque „pia memoria nunc recoli'', neque „dotibus ingenii exornari'' poetice a Platone dicta ipsius magistri. Qualis enim philosophus hoc loco nobis ante oculos ponitur? *Physicus!* Hoc indicant verba *οὐρανοῦ θ' ὕπερ ἀστρονομοῦσα, καὶ πᾶσαν πάντῃ φύσιν ἐρευνωμένη τῶν ὄντων ἑκάστου ὅλου, εἰς τῶν ἐγγὺς οὐδὲν αὑτὴν συγκαθιεῖσα.*

Non haec Socratis erant. Is, e contrario, *τὰ ἐγγύτατα* contemplari solebat i. e. semet ipsum, cf. Phaedr. 229 E. Physicorum studia, si non aspernabatur [2]), attamen operam eis non dabat, cf. Apol. Plat. 19 C, ubi disertis verbis declarat omnia, quae de Socrate illo Aristophaneo in machina suspenso in Nubibus leguntur, conficta esse, nullam se eius doctrinae scientiam tenere, neque se indagare *τά τε ὑπὸ γῆς καὶ οὐράνια*. Quae ultima verba prorsus contraria sunt Pindari verbis, quibus animus physici dicitur circumvolare *τᾶς τε γᾶς ὑπένερθε — οὐρανοῦ θ' ὕπερ*. Errat ergo Leeuwenius, qui contendit in hac quaestione (Nub. proleg. XXXII) „in perridiculis verbis Socratis Aristophanei inesse quod adhiberi possit ad verum Socratem melius cognoscendum et (proleg. XXXI) ad Platonis fidem in referendis magistri dictis et cogitatis confirmandam.''

Comici iocis et facetiis Plato vescebatur quasi quodam ingenii pabulo. Hoc manifestum fit ex hoc quoque loco in Theaet. 175 D, ubi iuvenis ille, acer et timendus ante iudices adversarius, versutus quidem causidicus, animi autem pusilli, simulatque sequitur „non passibus aequis'' philosophum in Coelestes Philosophiae Regiones, dicitur praebiturus esse ridiculum spectaculum *εἰλιγγιῶν τε ἀπὸ ὑψηλοῦ κρεμασθεὶς καὶ βλέπων μετέωρος ἄνωθεν.* Suspensus ille in philosophia imperitus causidicus nonnisi ex comparatione cum locis modo ex Aristophane allatis recte intellegi potest. E verbo

---

[1]) Conf. tamen pag. 14.

[2]) Conf. tamen pag. 29, 30.

κρεμασθείς iure mihi pro certo efficere videor κρεμάθραν illam e Nubibus respici, i. e., Plato imitatus est inventum Aristophanis, neque ipsius Socratis dictum nunc exornat.

Corroboratur et confirmatur haec nostra opinio eo, quod narratiuncula illa haud ignota, quam refert Socrates Platonicus in Theaet. 174 A. de Thalete, Platoni in memoriam redacta esse videtur, cum similia legeret apud Aristophanem Nub. 169 sqq. Ibi quoque ipse Thales nominatur paulo post vs. 180.

Possumus plura ex eo genere congerere; haec autem sufficiant ad sententiam nostram tuendam. Maior locus huic quaestioni non datur in hac dissertatione. Unum tantum addere velim. Verba, inventa, dicta Plato imitari potuit, totam comoediam (sicut ex Xenophontis Memorabilibus totam paragraphum, vel Apologiam Xenophontis et Symposium) imitari et sequi non potuit. Tamen Nubes comoediam propter irrisum Socratem penitus cognitas habuisse videtur Plato. multaque apud eum hanc comoediam respiciunt. Alterius autem comoediae, sc. Ecclesiazusarum, totum argumentum philosophi animo observatum esse cum quintum librum Reipublicae scriberet, viri docti, multis negantibus [1]), iam dudum intellexerunt. Hanc igitur quaestionem silentio praeterire non possumus. Etsi eam funditus disputare non vacat, tamen commemorabitur breviterque exponere decet quibus de causis nos quoque arbitremur Platoni hanc comoediam non ignotam fuisse et eius cogitationi pabulum praebuisse cum quintum librum Reipublicae scriberet.

I. Aristophanes Platonem non irridet, neque philosophi illa in Republica doctrina ad comici aures permanavit.

A) Aristophanes viginti fere annis maior natus erat quam Plato. Non credibile est Aristophanem, veterem in arte gladia-

[1]) Nuperrime vir clarissimus eruditissimusque v. Wilamowitz (Platon II 199) commotior animo iratis verbis respuit controversiam: „An den, wie es scheint, unausrottbaren Unsinn schäme ich mich fast, ein Wort verschwenden zu müssen, dasz Platon von den Ekklesiazusen des Aristophanes abhänge".

torem, tironis alicuius scripta inspexisse. Hoc vulgo inter scriptores, qui tot annis, quantis comicus a philosopho, distant, non fit.

B) Admodum veri simile est eo tempore, quo Ecclesiazusae in scenam delatae sunt, quintum librum Reipublicae nondum scriptum neque editum esse.

De comoediae tempore commentatores et critici dubitant, utrum paulo post an paulo ante 390 composita sit.

Quod ad Rempublicam attinet, vulgo conceditur, si non in senectute, attamen maturiore demum aetate illam de optima republica constituenda doctrinam a Platone esse conscriptam.

C) Ipse poeta nos docet (Eccl. vs. 571) nova esse omnia, necdum ab aliis poetis vel scriptoribus in aliis comoediis vel scriptis prolata, quae in hac comoedia exhibentur de communi mulierum usu, de mulierum et liberorum communione, de feminarum emancipatione, ut ita dicam, et imperio, de libera liberorum procreatione, de civitate, in qua omnes omnia communiter possident: ἀλλὰ πέραινε μόνον μήτε δεδραμένα μήτ' εἰρημένα πρότερον.

Nullus locus parallelus aut apud alios comicos aut apud alios scriptores indicari potest, ex quo demonstrari possit eam politicam et oeconomicam, ut aiunt, doctrinam ab aliis iam prolatam et defensam esse. Nihil enim curo, sive versiculus aliquis laudatur alicuius poetae, cuius animo tale quid, *in transitu*, surrexerat, sive locus apud historicum aliquem, qui commemorat liberiore vitae conditione uti mulieres apud aliquem populum.

In Ecclesiazusis enim — comicorum in modum! — exponitur *doctrina accurate exstructa*, quod est argumentum totius comoediae.

D) Illud φρένα φιλόσοφον vs. 571 nihil indicat. Utique nullus spectator inde intellegi potuit Platonem eiusque praecepta de optima republica constituenda derideri. Nusquam id vel levissime significatur.

E) Ecclesiazusae Aristophanis annumerandae sunt aliis comoediis eiusdem comici, quibus suam de reipublicae statu

opinionem liberrime protulit, Equites dico, Vespas, Pacem, Lysistratam, alias. Libenter igitur assentior FRIDERICO KÄHLER qui haec scripsit [1]): „Emanavit igitur, ut comoediae Aristophaneae est propium, e civitatis statu ac temporibus et quasi ultro poetae sese obtulit".

Non primum nunc rei publicae sanandae remedium comice, acerbe, ironice offert!

II. Credibile est Platonem Ecclesiazusas legisse.

A) Rectissime Leeuwenius scripsit [2]): „Fieri quomodo poterat ut Platonem in lubrica hac materie versantem fugerent quae de eodem argumento iocatus esset poeta clarissimus ipsique acceptissimus? Credimusne eum scommata, quibus se puero infante Socrates petitus esset, accurate habuisse cognita, ignorasse quae tum cum florebat, in scena sunt dicta de re in qua ipse totus erat?"

B) Apud Aristoph. Praxagora et Blepyrus similes partes agunt atque apud Platonem Socrates et Glauco.

C) Probabilem nostram sententiam reddit quod *verba similia* apud utrumque leguntur isdem disputationis partibus et locis.

Apud comicum vs. 578 chorus Praxagoram adhortatur ut dicat quae sentiat hisce verbis: *ἀλλὰ* **περαινε** *μόνον μήτε* **δεδραμένα** *μήτ' εἰρημένα πρότερον.*

Similiter apud Platonem incipit Socrates 451 C *τὸ γυναικεῖον* **δρᾶμα** ——— **περαίνειν**.

Odium rerum novandarum et Praxagora et Socrates metuunt.

Eccl. 583: *τοὺς δὲ θεατάς,*
εἰ καινοτομεῖν ἐθελήσουσιν καὶ μὴ τοῖς ἤθάσι λίαν
τοῖς τ' ἀρχαίοις ἐνδιατρίβειν, τοῦτ' ἔσθ' ὃ μάλιστα δέδοικα.

---

[1]) De Arist. Eccles. tempore et choro Diss. Kiel. 1889. pag. 17.
[2]) In Edit. Eccles. proleg. XIV [2].

Quibuscum conferantur quae leguntur Pol. 472 A: *εἰκότως ἄρα ὤκνουν τε καὶ ἐδεδοίκη οὕτω παράδοξον λέγειν λόγον τε καὶ ἐπιχειρεῖν διασκοπεῖν.* Item Pol. 453 D, 473 E.

Homines enim solita vitae suae ordinatione desistere vulgo nolunt, Eccl. 584 *τοῖς ἤθεσι ἐνδιατρίβειν*, Pol. 452 A *παρὰ τὸ ἔθος*.

De communione cf. Eccl. 590, 614 et Pol. 453 A, 449 C.

D) A Platone comicum respici satis luculenter apparet ex Pol. 452 B—E, 457 B, notissimis locis.

Quae cum ita sint, quiete in nostra sententia de Platone homine et scriptore literato, imitatore, plagiario perseverabimus. Neque *ipse* summus philosophus sui ignarus fuisse videtur. In Menexeno quidem fatetur nonnullas reliquias laudationis funebris quam Pericles habuit a se conflatas esse (Menex. 236 B). Item in Phaedro 235 C D non ignorat, immo ipse confitetur, se pectus impletum habere ex alienis fontibus (*ἐξ ἀλλοτρίων ναμάτων*).

Viris doctis autem cavendum est ne Platonis ignari sint, quid fuerit, quid non fuerit.

Iamque dissertationi nostrae finem imponimus. Xenophontis Apologiam defendere, verum Socratem explorare, quomodo in iudicio locutus esset, quid dixisset, quid non dixisset, comparandis Apologiis altera cum altera investigare conati sumus. Ex qua comparatione apparebat Platonem, ut ipsius verbis utar, *ἐξ ἀλλοτρίων ναμάτων πλῆρες τὸ στῆθος ἔχειν*. Suspicati sumus alia vestigia et indicia haud ita pauca latere. Subiunximus duo additamenta. Non ergo ad finem perducta est neque tota a nobis soluta maxima illa quaestio, quam instituimus. Fertilissimi studiorum agri late patent incultique fere iacent. Nos tantum in aratiuncula laborem nostrum consumpsimus. Quodsi viri docti quoque non dedignabuntur operam suam studiumque in hanc quam instituimus quaestionem conferre, uberrimus proventus nos mirum quantum iuvabit ad melius cognoscendum scriptorem quo nullum novi neque puriorem neque tersiorem neque elegantiorem, et philosophum, qui animos omnium omnium saeculorum hominum vehementer commovit.

THESES.

THESES.

I.

Iniuria Leeuwenius contendit in carminibus Homericis *νηούς* nusquam esse templa lapidea (vid. Edit. Iliad. A. ad vs. 39).

II.

Hom. Iliad. I 209:

τῷ δ' ἔχεν Αὐτομέδων, 'τάμνεν δ' ἄρα δῖος Ἀχιλλεύς,

versum delendum esse censeo.

III.

Hom. Iliad. I 403:

τὸ πρὶν ἐπ' εἰρήνης, πρὶν ἐλθέμεν υἷας Ἀχαιῶν.

Contra Leeuwenium versum in textu servandum esse existimo.

IV.

Errant H. Maier (*Sokrates* 262 sqq.) et v. Wilamowitz (*Platon* I 108) qui contendunt definitiones Socrati non esse tribuendas.

V.

Iniuria Cobet (*Mnemos.* II 1874, p. 380), quem recentiores sequuntur (cf. Dittmar, *Aeschines von Sphettos* 131), negat in Plat. dialogo cui titulus Alcibiades I pag. 123 B. significari et respici posse Xenophontem (*ἐγὼ ἤκουσα ἀνδρὸς ἀξιοπίστου τῶν ἀναβεβηκότων παρὰ βασιλέα*).

VI.

Sine iusta causa v. d. Krauss (*Aesch. Socrat. Reliquiae*, pag. 39), Hirzelium secutus, verba quae leguntur apud Plutarch. Quom. adul. ab. am. intern. 69 E F cap. 29, ad dialogum Aeschinis „Alcibiadem'' revocavit.

VII.

Cum nonnullis antiquis (cf. Scholiastam ad Arist. Nub. vs. 96) mihi persuasum est Aristophanem non ob malevolentiam et invidiam, neque peculiari in Socratem odio incensum, neque serio, sed magis iocandi causa Nubes fabulam scripsisse: suspicor autem Platonem hoc intellexisse eamque ob causam ioca illa plena facetiarum in deliciis habuisse.

VIII.

Bollandius in libro, cui titulus „*Vorlesungen üb. d. gesch. der Philos.*'' pag. 336, ad verba Hegelii: „Plato's Erzählung der schönen Scenen seiner (= Sokrates') letzten Stunden e. q. s.'', non sine causa adnotat: „Die rein aus dem Daume gesogen sein dürften.''

IX.

Terent. Phorm. 852: „congredere actutum''.
Haec verba non Getae, sed Antiphoni tribuenda sunt.

X.

Errant qui putant verba „fertur" (Aen. I 15) vel „ferunt" (Aen. VI 284), aliaque ex eo genere, indicia esse diffidentiae poetae (*Georgii* apud *Ladewig* Ed. Aen. ad I, 15 Anhang).

XI.

Verg. Aen. II 312: „Sigea igni freta lata relucent". Poeta perperam haec verba tribuit Aeneae, qui talia videre non potest.

XII.

Verg. Aen. 48—49.

Non recte *Ladewig* arbitratur haec verba anxie esse dicta (Iuno's ängstliche Frage).

XIII.

Tibullus poeta melancholia laborabat.

XIV.

Iniuria v. d. JACOBY (*Rhein Mus.* 1909, Vol. 64 inde a pag. 601) contendit Tibullum imitatorem esse Propertii (I. 19) in versibus quibus loquitur poeta de morte sua in prima elegia libri primi.

XV.

Germania Taciti vox monentis est.

Hoc scripto Tacitus populum Romanum de ipsorum vitiis deque Germanorum virtutibus admonet.

XVI.

De naam „Epeioi" is niet fictief, maar duidt aan de uit den vreemde (Thessalië) gekomen overheerschers, terwijl „Eleioi" — later algemeene naam geworden — de naam was van de oorspronkelijke bewoners, aldus geheeten naar het land.

XVII.

Het profeteeren van de Pythia, althans in later tijd, ging gepaard met een muzikaal accompagnement van drievoeten, waarin de drievoet der Pythia, als het ware de eerste viool speelde.

XVIII.

Lysippus was een impressionistisch realist.

XIX.

Hoewel de Apoxyomenos Lysippische karaktertrekken vertoont, kan hij niet gelden als norm voor de kunst van Lysippus.

XX.

De *πυρφόρος* in de *ἐξαποστολή τῆς Πυθιάδος* (cf. B. C. H. 1894, p. 87, inscriptie van het schathuis der Atheners) is een *vrouw*, niet een *vuurvat*, gelijk sommigen (A. E. J. HOLWERDA) beweren.

XXI.

De Platonische Idee is een vrucht van een ingeboren neiging van het Grieksche volk om voorbeelden, modellen, idealen te scheppen. Deze philosophische plant is gegroeid op een voedingsaarde van idealen.

XXII.

Eene zesjarige gymnasiale Klassieke Opleiding is verreweg te verkiezen boven eene op later leeftijd begonnen vierjarige.

Voorts is het niet wenschelijk Gymnasium en H. B. S. tot ééne inrichting te vereenigen.
